AD SUMMUM PONTIFICEM

UT JUS GENTIUM RESTAURETUR,

Viri Protestantici Appellatio.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

SEX QUÆSTIONIBUS

FIT SATIS CIRCA EA QUÆ IN FUTURO ET JAM INDICTO

ŒCUMENICO CONCILIO

AGITABUNTUR.

Opusculum

PER DAVIDEM URQUHART,

ANGLICE EXARATUM, NUNC LATINE REDDITUM.

"Quum vera Justitiæ notio tenebris obscuratur, in veræ Justitiæ legitimique Juris locum Materialis substituitur Vis."—PIUS IX.

LONDINI:
APUD WYMAN ET FILIOS, 74-75, GREAT QUEEN STREET,
LINCOLN'S-INN FIELDS, W.C.
1869.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/adsummonpontific0000davi

PONTIFICI MAXIMO.

Montreux Helvetiorum,
Primâ Die, A.D. 1869.

Beatissime Pater,

Primâ hâc die anni sæculis venientibus mirabilis habendi, ad solium supremum potestatis humanæ mœrens accedo, et ad pedes Sanctitatis tuæ libellum depono.

In hoc usu scriptum, in hâc spe oblatum est, ut modos humanos ad tuam voluntatem explendam ministret.

Hanc voluntatem ita intelligo ut Jus Gentium hominumque jura sacrata et servata sint; ut, leges spretæ et fœdera fracta cordibus humanis inscripta, curâ tuâ, pacem et fiduciam in terris reducant.

Motu tuo, Sanctissime Pater, res ordinata est quæ, concione hominum factâ, vocem in orbem emittat, a cœtu fidelium ipsius DEI habendam.

Spectantium ante fores in nomine confirmo, eam vocem ab illis ita acceptam fore, si viam ostendat quæ nos a scelere publico, in loco regum et legum hodie accepto, liberet.

Anceps est potentia et gloria vana; id tantùm potens et durabilis quod remedium ad morbos et errores hominum afferat.

Potentia illa tuis in manibus sita est. Potentia alia non est, nec spes.

Oro te, Beatissime Pater, ut intelligentiam excelsam et undique permeantem Romanæ Ecclesiæ evoces ad istam scientiam colendam, ab antiquis de "rebus humanis et divinis" dictam, per quam Roma pagana magna, nobilis, et veneranda fuit. Hoc quoque apud potestatem et voluntatem tuam est.

Miseris, qui mala sibimetipsis illata nec tolerare nec sanare possunt, in auxilium venias,—per dignitatem regiam, per antiquum titulum tuum, per præteriti memoriam, per Urbem Sedem Imperii quam incolis, per linguam ipsam quâ uteris—oro.

David Urquhart.

Hic habes, Lector, quæ scribenda videbantur, quum ab auctore peteretur ut summatim scripto mandaret quæ in variis inter amicos colloquiis fusiùs tractaverat.

Materia proposita hisce ferè capitibus continetur.

1°. Jus Gentium inter se antiquitùs ubique observatum.

2°. Idem hodiedùm ab omnibus neglectui datum.

3°. Absolutè opus esse, modò saluti societatis civilis consulendum sit, ut denuò universim Jus idem agnoscatur Gentium.

4°. Soli Ecclesiæ Catholicæ, cum Papâ ejusdem Capite, vim inesse ad id efficiendum.

5°. Aptam huic negotii præbere occasionem Concilium Generale proximè convocandum.

6°. Ad hoc maximè conducere, omissis cæteris ad id facientibus, ut in Urbe Româ fundetur Collegium : in quo disciplinæ ad rem politicam spectantes tradi possint.

Si ea omnia de quibus agendum erit, paucis verbis comprehendi possent, supervacaneum foret ea literis consignare. Quæ ego sum dicturus, ea nemo mortalium olim ignorabat; eadem hodie ignorant plerique, vocabulorum fallaciis decepti falsisque propositionibus, ex quibus intellectualis pænè omnium conflatur hominum supellex.

Nostrûm igitur est ab hominum mentibus hæc omnia amovere, hominesque malè doctos rectiùs instituere: quod nonnisi in amicorum consuetudine, mutuisque inter se colloquiis, plenè præstari potest. Si tamen oporteat ut res scripto agatur, nequaquam sufficit ut theses aliquot proponantur tantummodò, aut methodus quædam. Nostram disputationem, tota quanta est, ea formula quam subjicimus ferè complectitur:—"Quod bonum est facitote, vos quorum malum facere minimè interest."

I. II.

Ab observantiâ Legis ad neglectum ejusdem, quomodo factus est transitus ?

Quæ nobis primo et altero loco tractanda proponuntur, ea in unum ferè recidunt. Minùs verè diceret aliquis, Jus Internationale antiquitùs ubique fuisse observatum, sed hodie ab omnibus neglectui datum. Ambæ quæstiones eo diriguntur ut aliquo modo determinetur quænam demùm sit ea pars Legis Publicæ cui debitus honor jam denegetur ; necnon ut designetur tempus, ex quo illa minoris haberi inceperit. Hâc igitur usus ratione, quidquid de hoc ipsè sentiam, exponam.

Jus Gentium, quod et Internationale audit, illud est quod omnia dirigit quæ inter civitates aguntur, haud secùs ac Jus Civile singulos regit homines. Distinctio hominem inter et civitatem, in numero tantum est reponenda, quin vel minimum inveniatur discrimen in eo quod ad jura spectat, ad officia, et ad obligationes. Pro civitatibus haud secùs ac pro singulis hominibus, omnes, quibus

reguntur, leges, ex præceptis Decalogi fundamentum accipiunt, præcipuè vero ex hisce quatuor :—

Non occides.
Non Furtum facies.
Non loqueris Falsum Testimonium.
Non concupisces.

Quæ omnia simul præcepta violantur, quoties gens genti bellum indicit quod non sit necessarium, cui justa non subsit causa, vel in quo indicendo debiti ritus non adhibeantur : quoties videlicet deliberatè gens aliqua bellum indicit eo animo ut alteri injuriam faciat per modum aggressionis et invasionis ; quæ fieri nequit absque occisione innocentium, rapinis necnon et vastationibus. Actus etenim hujusmodi comitentur necesse est insontium falsa inculpatio, ejusque, quod ipsorum est, concupiscentia.

Neque fieri hæc possunt sine consilio talia patrandi ; non ita planè ut in singulorum civium animo volvatur hujusmodi consilium : hoc etenim restringi potest ad paucos tantùm, immo, ad unum : sed in mente communitatis, ubicunque demùm Mens illa resideat, certò est reperiendum. Nihilo tamen seciùs omnium culpa communis erit, quippe qui in causâ sunt, si non actu, saltem per assensum, seu per impensas eo fine pecunias, ut illa patrentur facinora. Quod si capti fecerint oculis, dupliciter sunt rei, qui de rebus ad conscientiam et ad politica officia spectantibus, judi-

cium certum effingere noluerint. Scelestorum planè ista excusatio, et servorum.

In omni bello pars alterutra in hanc devenit turpitudinem. Hoc modo peccavit gens vel una vel altera, quoties ad arma fuerit deventum. Quæ vero gens partes tenet adversas, ea dum sceleri resistit, innocentiæ simul et libertatis, per orbem terrarum, tum publicæ tum privatæ, protectrix fit et propugnatrix.

Conditio humani generis deterior nunquam fieri potuerit, quam ejus est civitatis quæ cum injuria sibi infertur, nullatenùs ad leges provocat; immo, si res ita se haberet, humana societas omnis de medio tolli videretur. Eo usque a nobis, qui hodie vivimus, est deventum.

Nulla gens genti, nisi propter res actu gestas, bellum jure potest indicere; quibus ex actibus damnum senserit necesse est. Secùs, illa causam in judicio intentare non potest. De hisce actibus gens nulla judicium nec ferre potest, nec belligerando exsequi, nisi omnibus mediis priùs expertis, quotquot ad justitiam securitatemque adipiscendam, utiles futuræ videantur; ut exinde procul dubio constet, aliquod existere imperium paratum non solùm, sed et obstinatum, humani generis quietem perturbare. Hunc modum Lex præscribit, eamque sequi debet, etiam tacente lege, gens omnis, cui honestatis nomen est cordi vel sapientiæ. Hujus ut rationem habeant Principes viderint cives: ex hoc domestica libertas et constat

et exhibetur. Hoc unico medio bella arcentur, pax servatur; nisi sanè causa interveniat verè necessaria; exemplo sit, barbarorum incursio, aut dux aliquis Martis admodùm cultor, in medio populi exortus bellicosi simul ac præpollentis. Hujusmodi autem rariora sunt exempla: quæ si locum non habent, pax ubique in securo ponetur; modò unicuique reipublicæ Lex sit cognita, nec Principibus, Principumque ministris, Legem spernendi facultas concedatur.

Ea quæ dicimus, exemplo ab Hanoverâ petito illustrentur.

Fieri potest ut in fines Civitatis in plenâ pace positæ, fiat invasio, nullâ præmissâ belli indictione, nec indictionis causâ. Civitatem illam, a quâ res gestæ desiderantur, nihilominùs per dolum et proditionem debellatam vidimus, et cum alterâ in unum corpus redactam, neque ad leges, proh pudor! provocantem; teste, nec tacente quidem, immo vero plaudente, Europâ universâ: quum perditum sit firmum probitatis fundamentum, et huc illuc trahantur homines a logographis quotidianis, auro accepto obcæcatis. Quod utique ideò faciliùs fit, quòd ubi gens gentem aggreditur, ipsius aggressionis ratione posthabitâ, de extraneis quibusdam motivis sumptum fertur judicium. Hæc autem motiva quæ sint, ex sensis uniuscujusque est repetendum secretis: generatim quidem ex theoriis, nescio quibus, de Ethnographiâ, de Philologiâ, de Geographiâ, de Po-

liticâ, de doctrinis denique Religionis. Has igitur theorias perpendens unusquisque pronuntiat: "Hæc gens illi copuletur genti; ab istâ "disjungatur; hic homo illis imperet; hæc "civitas, Rege expulso, populari deinceps regi- "mini subjiciatur; illa Rempublicam abroget, et "unius dominatui pareat. Quæ omnia cum mihi "sint cordi, laudabo executurum, quicumque "demùm ille sit, simul et media quæcumque "fuerint ab ipso adhibenda." Sic ubique via patet quâ deveniatur ad rationem hominum ultimam, sanguinis scilicet effusionem, nullâ vel quæsitâ causâ; nondum patratâ, attentatâ, immo ne somniatâ quidem, injuriâ.

Hinc tessera per quam honesti hominum a turpibus secernantur. Si quis malo finem imponere studeat, ab eoque suos revocare, integer ipse, talibus sese opus est imbuat disciplinis, ut par sit ad quemlibet coarguendum; demonstrando nempe unicuique eorum quos alloquitur, lege illum simul et fide carere, quisquis theorias foveat, cupiditatibusque faveat, in rebus a se prorsus alienis: eundemque, quantum in se est, operam suam præstare ad turbam illam universalem inducendam, unde suo tempore orietur dominatio unius per totum orbem tyrannidis, rerumpublicarum cultuumque jura usurpantis. Legibus civitates inniti, neque aliter pacem et benevolentiam securam præstari, adeò certum est, ut ubi (quod nunc fit) Leges obsoleverint, nihil

residuum maneat quod stabile sit et securum, ne facultas quidem, quam sibi vindicant universi, quæ libuerit cogitandi. Hæc rerum conditio lacrymis verè deflenda, ex perverso loquelæ usu suum ducit exordium, dum sensus vocabulis tribuuntur falsi atque ambigui; hinc effrena illa libido omnia diruendi, propter gloriolam dominatricem; et propter nimiam fiduciam in eo omni quod in nobismetipsis esse fingimus ipsi nos, quidquid non ipsi sumus, satis est ut odio habeatur.

At istiusmodi homines non solùm odio quidem, verum etiam despectui habent veritatem, quam rarissimo casu audiunt, auditam respuunt. Exemplo rem illustremus. Amicum obvium alloquens, "Ea sanguinis effusio," inquies, "quæ in bello fit sine causâ, non minùs homicidium dici debet, ac si latrones in angiportu jugulent viatorem." Statim respondetur: "Procul dubio tu ex *Quackerorum** es grege, qui paci quoquomodo astipuleris." "Non ego," respondes, "de pace verba feci, quæ nonnisi sequela est: sed de scelere quod est causa, necnon de justitiâ, quæ est remedium." "Mehercule!" subdit, "Ecquis mihi justum bellum indicabit?" Nescit miser, se crimen cum criminis punitione commiscere; reum pro judice sistit, pro reo judicem.

* Quackeri secta sunt Protestantium, cui qui nomen dederit, voto se astringit se nunquam bello gerendo consensum præstiturum.

Quod si industriâ tuâ eo progressus sis, ut ille tandem suum agnoverit errorem, adeò longè abest quin gaudeat de eo quod, falsitatis jugo excusso, in libertatem sit vindicatus, aut campum noviter sibi patentem sperabundus simul et ex animo ingressus fuerit, ut ægrè ferat seipsum erroris fuisse convictum; nec de aliâ re postea cogitabit, nisi ut ea quæ acta sunt, falsis apud seipsum depingat coloribus, apud alios verò eum, quocum locutus fuerit, maledicat. Quo fit ut veritas hominibus innotescere nequeat. Etiamnùm caligat, quem, dempto velamine, anteactorum non pœnitet. Exstant quibus intelligentiæ; exstant quibus mira acies conscientiæ; necnon ab aliquibus, primæ barbæ juvenibus, amor sui aliquandò devincitur; his verò exceptis, hoc ævo non inveniuntur qui erubescant et resipiscant.

Quibus contigit ut hæc commissa fuerit veritas, arduum vitæ institutum est capiendum: dolor ob circumstantium hebetudinem; angor quoties eam dispellere studuerint; sibi ipsis culpæ vertent si quam prætermiserint occasionem; persecutionem denique patientur, simul ac quales sint, quidque sentiant, innotuerit.

Quod ad rationes physicas attinet, quodque ad scientiæ augmentum inservit, indagatori acceptum venit, idque acceptum referunt cæteri. Qui in re morali veritatem deprehendit, erroris arguit universos, et omnibus exosus vitam degere cogitur.

Quod animali naturæ appetentia cibi, id

rationali, veritatis habendæ ; ex hoc enim elaterio cæteri motus originem ducunt. Virtutum unicuique suum est contrarium vitium ; ac proinde huic desiderio omnium quippe fonti et origini virtutum, necesse est ut omnis mali fons opponatur. Opponitur utique timor ille, quo timetur ne fortè patefiat error deprehensus ; vel, ut aliis verbis utar, desiderium exhibendi se erroris expertem. Qui huic indulget desiderio, illum φίλαυτον appellamus : quod qui audiunt homines, conditione versantur omnium pessimâ : illo autem signo dignoscitur, cum ægrè fertur proprii erroris indicatio. Conscientia nempe adeò pervertitur, ut a justitiâ, cui adminiculo esse debet, abhorreat. Hoc morbo laborat nostrum sæculum, quem rectis inspicere debemus oculis, et pro vero hoste habere quîcum sit dimicandum, quocumque demùm se tegere velit pallio, utrum ex opinionibus de republicâ, an principiis philosophicis, an Religionis simulatione, contexto.

Unius occisione patratâ, omnes animo commoveri, reum indignabundi vestigiis consequi, deprehendere, plectere. Sunt vigiliæ urbis, sunt inquisitores, sunt judices : hisce incumbit officium et munus reum persequendi. Neque ipsa nocentis quieta est conscientia, quin rebus gerendis inertem reddat, quin prodat ubicunque versantem, in causâ dicendâ prosequatur, arripiat tandem in supplicio, sive in morbo extremo. At quidnî in homicidio multiplici ? Ignoratur scilicet, homi-

cidium esse; ignoratur autem animum in dies magis servilem gentium coram tyrannide pessum datarum; siquidem tenerâ ætate disciplina sæcularis et religiosa neglexit cives circa sceleris hujusmodi et peccati naturam instruere, ac proinde homines ita ut essent justi, ac virtute præditi, vel qui naturali saltem ratione uterentur, educare.

Animum ferire potest simul et erudire, analogia ex societate illâ Indicâ deducta, cui *Thuggorum** nomen imponitur: qui de singulis homicidiis idem quod nostris temporibus Christiani de multiplici senserunt homicidio. Hinc, si quis ex eâ societate crimen actuum hujusmodi agnovisset, socios autem sceleris arguere voluisset, illius non alia inter suos esset conditio, ac ejus in hodiernâ Europâ, si quis idem inter æquales suos tentaverit. Frustra talis ad patriam religionem, frustra ad communes hominum sensus provocabit innatos.

Nihilominùs, quæ hic adumbrantur, aliam omnino speciem induunt, si hortatio ab illo proveniat Religionis Præside, quem ducenties ferè millies milleni tanquam Vicarium Dei jam recognoscunt. Hi saltem offensionem deponent, atque omnes uno ore clamabunt, ut olim in Concilio Claromontano: "VOLUNTAS DEI EST!" Vult nempe Deus ut sit pax in terrâ, hominibus bonæ voluntatis; pax autem nonnisi per justitiam

* Thuggis in Indiâ Orientali degentibus, summæ laudi fuit ut homines innocentes nec opinantes jugularent.

obtinetur. De *venturo* utique *Regno* Divus Paulus verba fecit ; at de *judicio* primum et de *justitiâ* sermocinatus est. Jam verò primus ex hoc tenebrarum penetrali gradus atque recessus in eo est, ut denuò clara simul et distincta habeatur idea, et de diversi generis actibus qui jam sub generali *Belli* nomine includuntur, et de iis quibus, quum nullo pacto conveniat ratio Belli, Belli nomen haud seciùs à multis hodie applicatur.

Bellum trifariam dividitur : Bella etenim tum necessaria esse, tum justa, tum licita, posse videntur.

Siquidem necessitatis ratio nonnunquam abest, etiamsi Bellum pro justo haberi queat : quando videlicet ad Declarationem est deventum, priusquam omnia ista præambula locum habuerint, quæ partes adversas ad jus reddendum adigere possint, vel quando in hisce ipsis præambulis agendis, ea ars in litibus componendis defuerit, sine quâ ad felicem exitum nunquam pervenitur. Ad hoc spectat quod Bellum Russiacum anni 1854 a quodam ex Politicis Angliæ* dictum fuerit, " Bellum perquàm justum et idem minimè necessarium." De tali enim agebatur bello, quod fortè justum fuisset modo ea fuissent media adhibita, quæ omnem belli necessitatem tollere debuissent ; innuebatur etenim, justum quidem fuisse bellum, injuriarum gratiâ a partibus adversis illa-

* Disraeli. Vir politicus in Angliâ, qui postea inter Ministros Reginæ supremum locum obtinuit.

tarum; et idem justitiâ eò carere, quod Nostri iis mediis usi non fuissent quæ præ manibus habebant, et quorum ope, vel injuria averti, vel debita satisfactio exigi potuisset.

Illud Bellum pro injusto habetur, per quod sine jure exigitur id, quod adversarii nullo jure reddere obligantur. Hujusmodi fuit bellum anno 1806 ortum, Anglos inter et Gallos; etenim hoc bellum indictum est post diremptam omnem dissidii causam quæ fortè inter utrumque populum exstitisset; et postmodùm Angli, postulantibus Russis, quod jure nequit rogari, exegerunt. Quod si fiat, ad constitutos Civitatis Magistratus, contra eos qui Ministri dicuntur, est provocandum. Verùm ubi formæ observantur debitæ,—Rerum Repetitio, Pœnæ Declaratio (quam *Ultimatum* vocant,) Actus publicus in Archivis repositus, facta Proclamatio subditis, hosti Denuntiatio, necnon solemnis Delegatio "ad interficiendum, ad comburendum et ad vastandum,"—tunc militare sacramentum ponitur in tuto, et militibus gladios distringere et tractare licebit.

Fieri demùm potest ut bellum, alioquin injustum et minimè necessarium, etiam neglectis hujusmodi formulis, indicatur; quod ubi fit, nihil est unde securi reddantur milites. Quicunque hâc ratione agit, pœnæ extremæ sese facit obnoxium, quod non solùm ab illâ quam læserit civitate debet expectare, verùm a sui ipsius patriâ

et ejus Legibus, tam pro civibus quam pro militibus, latis.*

Qui hoc modo egerit, quoad gentes universas, is pirata evadet: quoad propriam civitatem, bellum privatâ auctoritate gessisse judicabitur. Ubi fortè bellum hujusmodi dederit occasionem liti cuilibet coram judicibus nostris dirimendæ, bellum habebitur injustum, ejusque nulla ratio in jure haberi debebit: id quod nos edocuit exortum in Primo Sinico Bello exemplum.

Bella illicita, nonnunquam, licet perrarò, gesta fuisse, compertum habemus: quæ tamen cum in barbariei eruptionibus regionumque vastationibus

* Ex historiâ quam sumus relaturi, ea quæ diximus lucem obtinebunt. "Haud multis abhinc annis juvenis quidam, præfectus exercitûs, mensæ supremi Ducis accumbens, disputationem cum Legionis Tribuno est aggressus: de eâ autem re agebatur, quousque militaris obedientia extendi debeat. 'Si Dux supremus,' ait juvenis, 'aliquid me juberet, quod scirem Legibus civilibus vetitum, id omne, nullo scrupulo laborans, exequerer, confidens me nullatenùs culpæ, quidquid factum fuerit, obnoxium, ex eo quod militiæ caput id mihi imposuisset.' 'Equidem aliter sentio,' respondit alter, generosus simul miles et perspicax: 'mallem etenim me submittere periculo supplicii militaris, per Superioris manus infligendi, in obedientiæ causâ, quam jure merito per collum suspendi ob Leges violatas et patriam libertatem.' 'Sicut te decebat dedisti responsum,' subdit Princeps, qui hanc concertationem satis vivacem auscultabat: 'quinimmo et gladio simul et laqueo dignus videtur quicunque ex militibus secùs ageret. Spero enim non minùs abesse quin vel unus ex militibus Anglis reperiatur, qui contra patrias Leges, jussa exsequi velit, quam abesse spero quin Dux Supremus quidquam contra easdem Leges velit imperare.'"—*Ex Vitâ Ducis Eboracensis a Gualtero Scott conscriptâ.*

maximè constent, pro naturæ potiùs quam hominum motibus sunt habenda. Quos tumultus atque incursiones si quando tractaverint jurisperiti, satis esse arbitrantur, ut dicant, in istis nequaquam *Bellum* consistere, sed latrocinium solummodò et prædationem.

Facinoribus hujusmodi si quis se immiscuerit, cum eo ut cum prædone agere et licet et oportet; eumque (modo armatus deprehendatur) sine causæ cognitione ad mortem damnare. Quod factum legimus ubi, cum anno 1602, Dux Sabaudiæ, nullâ priùs denuntiatione factâ, Genevensibus bellum intulit: quotquot ex hostium numero in civium manus inciderunt, super mœnia urbis collo suspensi sunt. Rem ita acriter actam jurisperiti, præsertim Vatellius, tanquam authenticum exemplum memoriæ tradiderunt. At illud est observandum, Sabaudiæ Ducem nunquam ausum ad talionem confugere; omnesque assensisse nationes huic constantiæ simul ac justitiæ executioni, cujus et gratiâ parvulæ isti civitati est servata libertas.

De bellis illicitis quoties ex aliâ causâ duxerint originem ac ex migrationibus barbarorum, non alio modo est judicatum quam de prædonibus maritimis, seu de moliminibus latronum in sylvis grassantium, seu de homicidiis latrociniisque rure, vel intra mœnia perpetratis.

Huc jure referuntur omnes nostris hisce temporibus terrâ marique exercituum patrati nisus:

quapropter nunc videntur leges omne robur amisisse. Cùm hi quibus occidendi furandique munus est delegatum, rem a se malam præstari non intelligunt; tum vim passi non percipiunt sibi pro defensione licere meritas pœnas nocentibus inferre: at justo quodam judicio obcæcati, cum possint capite plectere aggressores, recusant, immo verò uti bello captos, pro integris et honestis viris excipiunt; sensu utique Legis in cordibus ipsorum haud ampliùs insidente. Sicut injuria non actu concluditur, sed universam in genus humanum dominationem molitur; ita et innocentia lacessita supremis quibusdam induitur attributis, modò officiis sibi incumbentibus fungatur; nempe modò protestationibus, resistentiâ, pœnis utatur. Quo sensu intelligi potest illud effatum juris Romani: "Justitia penes læsos,"—cui tamen hodie passim repugnatur.

Falsò tamen diceret quis, unumquodque horum flagitiorum ducere originem ex multis variisque incitationibus quibus animi quam vehementissimè urgentur: duplex tantummodò causa assignari potest: (1) Cives rempublicam administrantibus temerè nimis obtemperare: (2) Pœnas a læsis exigendas prorsùs desiderari.

Campo quem lustrare debemus ita circumscripto, sponte sese menti objicit ad erigendum animum apta consideratio. Quæ tandem illa? Negotii hujusce simplicitas. Ad rem intelligendam, non Legum studio est incumbendum, non Politiæ, non

Diplomatiæ, non tandem Historiæ. Sufficiunt rudes vel incultorum hominum instinctus, ut hoc admittatur, et in actionem deducatur. Hoc, simul ac enunciatur amplectantur omnes necesse est. Nonnullæ, certè, oriri possunt difficultates, circa rationes quibus pro remedio sit utendum; unusquisque autem omni dubitatione semotâ videt, quanta, nisi inveniatur remedium, humano generi immineant infortunia.

Quod ad tempus attinet quando hæc tanti momenti mutatio fuerit facta, hoc nulli nec anno assignari potest, nec eventui: etenim juxta ordinem naturæ omnes sensim sine sensu fiunt mutationes. Nonnisi enim post multa injusta bella nec necessaria, hic adeo atrox modus agendi facilis evasisset; immo nec potuisset evadere. Opportunius utique videtur gradus hujusmodi distinctè recensere et prosequi: et eo ampliùs quia nostrates facinora a se ipsis patrata plerumque ignorant.—

In Angliâ eo tempore prima vicissitudo accidit, quo vim suam exercebant præcipuè odia, Religionis causâ exorta, et simul in rebus politicis Revolutio; cum Regia dignitas in aliam familiam transferretur, et Princeps quidam extraneus ad regnum appellaretur. Bellum a Successione Hispanicâ nomen desumpsit. Id ex conventione quâdam exordiebatur, ut primâ vice, ubi cum extraneis agebatur gentibus, id omne quod Legibus cautum erat, vi suâ et virtute omnino caruit, ne dicam, fuit præ-

termissum. Custos Sigilli,* tabulam quandam obsignavit rasam, quæ deinde ad Gulielmum III., in Hollandiâ tunc temporis commorantem, missa, a Rege, arbitrio proprio, scriptis vocabulis esset repleta. Ut defenderetur Respublica Anglorum, et simul universa Europa, a consectariis hujusce sceleris, Minister ille capite damnandus esset. Hâc non adhibitâ ratione, primus iste incessus multos eâdem viâ traxit. Deinde, quodcunque ex parte Legum et Constitutionis obstabat, paulatim evanuit; videlicet, de bello ineundo, de negotiis apud exteras civitates agendis, conventionibusque scripto formandis, ex quibus utique scriptis, postea, bellum fortè exordium sumit. Eodem ferè tempore desiit regia potestas per eos exerceri, quibus solis, jure, licuit; ac remissa est arbitrio Sodalitii cujusdam, per Leges minimè recogniti, cui *Secretioris Concilii* † designatio est affixa. Nunc verò temporis, non sine maximo incommodo, vulgò existimatur, omnem de fœderibus feriendis, et de bellis indicendis actionem, ad regiam pertinere majestatem; minimèque necessarium esse ut hoc fiat cum consensu Secreti Concilii,‡ dum sufficere credatur sententia "Secretioris Concilii," Sodalitii istius merè accidentalis, et quod a suffragiis in Parliamento latis omninò pendeat.

Post Bellum Successionis Hispanicæ bella, ad

* John Somers.

† Anglicè, *King's Cabinet.*

‡ Anglicè, *Privy Council.*

unum omnia, nec necessaria fuere nec justa; dum in iis gerendis illi qui reipublicæ præerant, vires quibus Anglia mari pollebat cohibuerunt potiùs quam deprompserunt. Verùm usque ad finem gravium quæ ex Revolutione Gallicâ ortum habuerunt bellorum, restabat aliquid subjectionis atque decentiæ; adeo ut illæ retinerentur formæ, quæ, ad militum conscientias in tuto collocandas, essent omninò necessariæ. Sine expresso mandato nunquam ad vim perventum est, et juxta morem militibus ut "interficerent, comburerent, ac destruerent," ritè est mandatum.

Ex illâ igitur ætate, quâ bella totam Europam complectentia, conquievere, publica prædatio, ab omni pallio nuda, ducit initium. Quod tunc primò locum habuit ubi, anno 1827, in prælio Navarinensi est dimicatum: quod licèt prælium ex conventione quâdam nullis Legibus recognitâ habuerit originem, nulla tamen consectaria, saltem ex parte Angliæ, obtinuit; et bellum ex errore ortum agnoscebatur.

Undecim annorum spatio huic nostræ ætati appropinquemus necesse est, ut inveniamus quo tempore primò gesta militaria a constituto Gubernio per prædationem sunt suscepta et ad exitum usque perducta. Incursio in fines Affghanicos facta primum nobis præstat exemplum. Annus igitur 1838 statui potest ut in quo bellum geri cessaverit, et hominum occisiones, Gubernii jussu factæ, bello sint surrogatæ. Bellum contra

Affghanos ideò est incœptum quia dux quidam gentis "malevolè" contra Anglos sentire diceretur. Quod si verum esset, non haberetur exinde justa belli causa. Ut veritas persuaderetur, variæ scriptorum series relatæ sunt Parliamento; quæ quidem scripta cum ille legeret qui rebus gerendis interfuerat Legatus, omnia mendaciter contexta declaravit. Ipse idcircò in patriam misit vera exemplaria eorum quæ olim scripserat, eo fine ut publici juris fierent. Multos post annos, et post multas in Parliamento instantias, authentica scripta in lucem sunt prolata: ex quibus vera inveniebantur ea quæ dixisset Legatus; * et simul compertum est omnem rationem belli ad illum Affghanorum ducem † perdendum suscepti, petitam esse ex Legati Angli scriptis, arte depravatis.

Inutile planè bellum, neque justum; injustum quippe erat Principem extraneum aggredi et debellare; deficiente autem justitiâ simul et necessitate, nulla, ut aiunt, "formalitas" bellum licitum reddere posset; nulla reverâ adhibebatur. Scriptum quidem in lucem prodiit "Declarationis" nomine insignitum: nulla vero inibi inventa est Declaratio Belli; omnis autem sermo fuit "de rebus militaribus ultra flumen Indum gerendis."

Non id egit Parliamentum Angliæ ut immane hoc scelus tanquam Legibus prohibitum exsecraretur, vel punitum vellet. Postquam omnes

* Sir A. Burnes. † Dost Mahomed.

extincti milites, rogatio volens ut in factum inquireretur, omni caruit effectu; atque iterùm, vindictæ tantummodò causâ, de invasione est deliberatum.

Antequam hoc modo omni juri tum humano tum divino apertè est valedictum, via jam parata erat ad eos qui hâc in parte criminis notâ se maculassent a meritâ pœnâ liberandos. Pactum quoddam initum est Anglos inter et Hispanos, quod juxta, si quis alienigena deinceps bello civili tunc æstuanti sese intermiscuerit, et a partibus adversis captus fuerit, non capite plectendus sit; dum e contra qui ita agat, et pirata reverâ est, et pro piratâ jure habeatur. Res artificio quodam peracta est. In ipsâ Conventione nulla de alienigenis fit mentio. Legatus Anglorum non aliâ ratione moveri videtur quam ut humanitati consulatur. Ita, humanitatis ergô, quasi in honorem magni nescio cujus idoli crudelis, utrique parti suadetur, ut finito prælio, ab hominibus interficiendis sese abstineant. *

In bello Affghanico, novo utique in rebus humanis ordine exorto, nullum sceleris genus quod non reperitur, nulla non comitantia damna. Expectandum sanè erat obtentam hoc modo licentiam congruos effectus mox sortituram. Triginta exinde anni jam sunt elapsi. Nullus eo tempore præpollens exstitit Bellator: nulla belli

* Inter conventiones auctoritate publicâ Angliæ collectivè evulgatas, hoc pactum, "Elliot Convention," *omninò desideratur.*

gerendi necessitas: bella nihilominùs, seu potiùs res a militibus gestas, quibus belli nomen est affixum, ab eo die ad præsens usque tempus sine intermissione continuatas vidimus: primò quidem in Asiâ, deinde in Europâ, postea in Americâ, et hisce denique diebus in Africâ: quæ omnia vel a directâ actione Gubernii Anglici sunt exorta, vel ab ejusdem incitatione indirectâ; vel locum obtinuerunt per generalem Legum contemptum, qui vel ex modo agendi Anglorum, vel ex hujus gentis auctoritate, fundamentum accepit.

Quæ ab Anglis gesta diximus, cæteræ gentes Europæ minimè animadverterunt. Deletâ jam Juris notione, novi criminis natura latebat; petita natio longè distabat, "pagana barbaraque" censebatur, in cujus gratiam nullæ leges respiciendæ. Injuriæ latebant in Europam resulturæ. Immo Gallia ejusdem iniquitatis opus in Africâ paucis ante annis aggressa, postea in Mexicâ et Americâ Meridionali erat persecuta.

Occupationi Affghanicæ extemplò successit Primum Bellum Sinicum, bellum (inquam) quod ad ipsos Sinenses spectabat, quod ad Anglos, latrocinium; prout solemniter prædicarunt in lite quâdam dirimendâ judices Angli. Deinde, excepit exercitus Britannici in Affghanorum finibus stragis, vindictæque causâ incursio iterata. Successit alterum et Tertium cum Sinensibus Bellum; atrocibus horrendæ immanitatis facinoribus utrumque scatens. Unum postea et alterum Persicum

secutum est Bellum ; Japones non semel lacessiti ; urbs Jedda globis displosis oppugnata : ultimum locum tenuit Abyssiniæ invasio. Quæ quidem bella eandem omnia præ se ferunt notam ; injusta etenim fuerunt omnia, minimè necessaria, nemini profutura : dum simul iis caruerunt formalitatibus, quibus opus est ut bellum, quantumvis justum et necessarium, fiat legitimum.

Notandum est, tum nullum ex hisce gestis lucrum esse reportandum, tum nullos animorum affectus, quibus fuisset indulgendum, esse concitatos. Gens Anglica nunquam eo, nisi inopinanter, adducta est. Scripta eo usque falsificata, ut etiam non existentia simularentur, et figmenta omnigena adhibita, eo fine ut bellum iniretur. Neque capiebantur hujusmodi consilia tantummodò ad cives decipiendos et Parliamentum, verùm etiam ad obcæcandos eos qui secundum inter Ministros tenerent gradum, immo ad ipsum Regem seducendum. Omnia per unum tractabantur Ministrum ; qui, ut sibi immunitatem, bonum successum, locumque conciliaret primarium, cæteris persuasit, nomen Anglicæ gentis periclitari, idque sustineri debere. Interea, dum universi sese imbecilli sentirent esse ingenio, et rempublicam minimè in tuto positam crederent, huic uni sunt omnes confisi quem fortem simul et aptum invenissent.

Inter hujus generis facinora, quæ in Asiâ gesta sunt, locum habet tumultus militaris quem anno

1857 in Indis ortum novimus: causam negotio dederunt arma quædam ex Angliâ missa in usum Indorum, ita quidem parata ut Indis ea gestantibus essent abominationi: missa, inquam; licèt arma hujusmodi, Angliæ legibus huc spectantibus, prohiberentur. Idem in re istâ ac in cæteris omnibus fuit consilium: et finem facilem felicemque est consecutum, eâ solùm de causâ quòd non ampliùs extarent limites quibus hucusque malefici continebantur.

Quæ cum ita fuerint, nunquam cessaverunt, ab anno 1838 usque ad 1868, res gestæ complexione latissimâ, sed latronum more potiùs quam militum. Unde factum est quòd in plagis Orientalibus labefactetur auctoritas Anglorum; convellantur fundamenta Societatis Civilis; Imperii facultates coarctari propter expensas factas, et sublata omnia moderamina quæ Principibus Leges imposuerunt. Quinimmo, non eo tantùm loci, verùm universo quoque in orbe, ex hominum animis deletus est omnis justitiæ sensus.

Jam ea quæ in Europâ sunt facta consideremus oportet.

Anno 1815 res aliquatenùs in quieto positæ: ita tamen ut adhuc jacentibus conditionibus antiquitùs observatis, postea verò neglectui datis; adhuc etiam juribus non restitutis quæ violata erant; ad id quod inde consequi debebat via est strata. Fœderi Viennensi, parvum post intervallum, subsecuta est ea quæ *Sacra Conventio*

dicitur: quâ, cùm de quodam Guberniorum jure communi stabiliendo præsumeretur, ad mutuum sibi præstandum auxilium contra subditos, id tandem effectum est quod solùm Conventionis primo auctori fuit in mente; ut nempe quam latissimè serperet Revolutio. Debebat videlicet unumquodque Gubernium suas præstare copias ad debellandos cujusvis Gubernii subditos; debebant proinde omnes subditi singula Gubernia collectis viribus petere. Alienigenas inter et cives non ampliùs attendebatur distinctio. Unicuique licebat, ubicumque, et cum quolibet rixari, et pro jure tandem statuebatur ut homo hominem pro lubitu suo jugularet. Probrosum hoc et sacrilegum Fœdus—Christi enim Nomen præ se ferebat—illicitum morem introduxit habendi Congressus: qui Congressus illicita progenuere bella. Hinc enim Austriaci Neapoli bellum intulerunt, hinc Hispanis Galli: hinc orta est illa summa confusio, in rebus simul et in hominum mentibus, quam huc usque prævalentem videmus.

Hæc dum in occidentali Europæ parte agerentur, in Oriente facta est interventio quæ sub pacis prætextu, reverâ ad subvertendum Imperium Turcicum ordinabatur. Græci ad tumultuandum a Russis sunt pertentati. Noluerant quidem Angli Sacræ Conventioni nomen dare: nihilominùs Anglorum legatus partes Russiacas Constantinopoli tuendas suscepit, postquam proprius Russorum Legatus ab hâc urbe discesserat. Cum

Turci se morem gesturos negarent, fœdus ictum est Anglos inter, Gallos, et Russos, ut consertis manibus vim Turcis inferrent. Hoc fœdere cautum est, ut iis qui Guberniorum personam gererent, de copiis liberè disponere liceret. Hoc igitur fœdus, non conventio utilis, sed probrum potiùs est dicendum, et infamia. Per hoc fœdus ex tribus Guberniis compartibus, singula juri renuntiarunt prout libuerit agendi ; ab unoquoque Gubernio auctoritas omnis in suos procuratores, unanimiter agentes, est abjecta : relictæ sunt nempe copiæ in manibus ejus unius qui fortè cæteris calliditate præesset. Exinde cædes Navarinensis, et classis Turcarum demersa ; eorumdem deinde fines a Russis populati ; Legatis Anglorum simul et Gallorum urbem Constantinopolitanam relinquentibus : ita ut a tribus simul principibus contra unum Imperium bellum est gestum, quorum duo hoc ipsum Imperium protegendum susceperant.

Hæc inter, Ægypti moderator ad rebellionem, ab Anglis primùm, deinde a Gallis clam incitatus, semel atque iterum contra Turcas desciscens insurrexit, totâ periclitante Europâ. Annis decem in summâ peractis confusione, ex hisce negotiationibus rebusque gestis exortâ, Gallos inter et Anglos, quod ad Ægyptum spectabat, rupta est amicitia. Ex Petropoli venit fœdus quoddam, cui Angli, simul cum Austriacis Russisque, consensum præstiterunt ; quod cum Gallis insciis

fuisset gestum, paulùm abfuit quin exinde per universam Europam exardesceret bellum; summa secuta est rerum omnium confusio, dum expensæ Gallorum in re militari haud mediocre acceperunt incrementum, et ipsi civitati Parisiorum additæ sunt munitiones.

Porrò nihil ejusmodi fuisset susceptum, modò valuisset apud vel unius gentis Ministrum "vel Legum reverentia, vel timor pœnæ a seipso luendæ." * Nec locum habere potuisset quidquam horum, nisi etiam ii quibus Leges exsequendi incumbit cura, sibi propriam fecissent potestatem bellum pro lubitu intentandi, Deputatis inconsultis. Nihil horum esset factum nisi prout diximus, "Secretum Regis Concilium" isti "Secretiori" cessisset; nec nisi mos invaluisset ut Legati permanenter apud exteras gentes residerent; unde factum est, ut interna, uniuscujusque conditio externis quibusdam conditionibus continuè obnoxia esset. Hæc omnia denique non evenissent, modò omnes Christianorum societates id assiduè docuissent, eodem nempe modo peccari ubi quis plurimos simul occidat, ac ubi singulos trucidet. Quod si ita etenim fuerit, non jam ex unius Ministri arbitrio oriretur bellum; nihil jam valerent epistolæ Ministrorum ad res omnes perturbandas: malignum denique illud numen cui

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

* Hisce verbis usus est quidam de Domino Palmerston loquens in Parliamento Anglico, mense Februarii, 1848.

"Moralis Influxus" nomen inditum, non jam ampliùs incumberet societati.

Variis ex causis via parabatur, ut Europa, eadem, quæ in anno 1830, vel etiam iis majora, mala, denuò anno 1848 sustineret. Causæ autem hujusmodi fuerunt: grave onus vectigalium; omne fundamentum amotum cujus ope judicia efformare possent homines; carentia omnis auctoritatis quæ quid contemplatu justum explicaret, quidve usu proficuum; fictus modus agendi de re nummariâ, unde identidem perturbationes fierent necesse erat: magnæ demùm expensæ factæ ab uno quodam de Guberniorum numero, ejusdemque assidua operatio, non alio præstituto fine quam ut per totam Europam, secretas, novisque rebus intentas, cieret societates.

Ex perturbationibus circa annum 1848 inceptis, præcipuè oritur is qui nunc dierum obtinet rerum status: primum impulsum, in Russorum gratiam dederunt Angli. Ab Helvetiâ inceptum est, ubi bellum civile eruperat, fictis quibusdam habitis negotiationibus, modo huic, modo illi, faventibus; cui successit famosa illa, mense Octobris anni 1847 data apographe, quæ Austriam denuntiavit in Italiam machinantem, quâque minas Angli intentarunt. Deinde legatus est Dominus Minto ad omnes Italiæ civitates, qui palam moderatoribus injungeret mutationes quasdam in rebus suis propriis internisque faciendas, nec minùs palam plebem ubique ad desciscendum invitaret. Europa

ubique tentata. Ubique terrarum cuniculos suos egerunt Revolutionis fautores a Russiâ profecti, dum simul Anglia omnes, apertè, ad rebellionem hortabatur. Unde factum est ut die uno eodemque jam antea designato, per universam Europam, ab Hafniâ Daniæ, et Bucharesto, ad Mare Mediterraneum, et Oceanum usque Atlanticum, gens omnis esset turbata, omnis queprincipatus eversus.

Post aliquod temporis intervallum, factâ rerum redintegratione, discrimen tamen quoddam ex omni parte sentiebatur : Gubernia magis obsequi, plebs obmurmurare. Auctæ sunt militares copiæ, civitatibus ære alieno magis oppressis, vectigalibus simul exaggeratis. Hucusque Europæ septentrionali parcebatur ; unica gens in Europâ pace gaudebat ; factionibus carebat, majorum instituta simul et Principem amabat. Debuit tandem in eandem Charybdim incidere, ob ipsam ordinis et juris observantiam pro victimâ mactata, pejusque instrumentum ad res turbandas, quam fragmenta ista civitatum olim per totam Europam fœderatarum, sigillatim ad sceleris ministerium obcæcatarum. De eo populo est sermo qui Ducatus incolebant juxta Eyderum flumen. Consiliis ex Lutetiâ perfidiosè missis, Regi Daniæ persuasum est ut horum Ducatuum jura auferre conaretur, sub prætextu eos includendi in Generali quâdam Repræsentativâ Constitutione; per quam fieri posset ut " Unitum Regnum Dani-

cum," contra Russos grassantes, esset obstaculo. His itaque constitutis, ut plenior turbationi, anno 1848, exortæ, daretur effectus, civile in Daniâ erupit bellum, quod, Angliâ procurante, in tertium annum est protractum. Quolibet autumno, Gubernium Anglorum interpositione suâ sese ingessit, ita ut res per hiemale tempus in eodem statu manerent, usque dum, vere adventante, renovari possent bellicæ operationes, quibus postea liber relictus est cursus. Eidem rei Borussia operam dedit, dum perfidè suasit Ducatensibus perseverantiam, obtinuitque tandem ut sibi ipsi committeretur suprema in hoc bello gerendo auctoritas, eo fine ut copias militares internecioni traderet. Ita per quatuor annos duraverat sanguinis effusio, commixta cum insidiis plurimis, donec res ad culmen quodammodò fuissent perductæ; deinde Varsoviæ initum est fœdus inter Imperatorem Russiacum, qui pro Familiæ Oldenburgensis Capite se gestabat, Regemque Danicum: quo fœdere mutata est successio ad Regnum, ita ut exclusis multis hominibus qui potiori gaudebant jure, nominaretur in regnum successor: dum ipsi Imperatori adjudicaretur titulus, ut Regni Danici, simul et Ducatuum, hæredi.

Hujusmodi pactio, et ipsa ut reliquæ, injusta, et simul Danis summè infensa, et toti Europæ periculosa. Moderatores Daniæ consensum Deputatorum ne quidem petere ausi sunt. Ipsum fœdus secretò priùs custoditum, ut tandem

Danis et Europæ imponeretur, auctor fuit ipsa Anglia. Aliud fœdus Londini initum, die octavo Maii 1852, protocollum Varsoviense concorporavit, jam constitutum prædicans, seque nihil adhuc sibi velle nisi ut protocollum istud a totâ Europâ sanciretur. Quo facto, Deputatis Danis idem fœdus, quasi Europæ universæ necessarium, propositum est. Iterùm iterùmque dimissis Deputatis, rursùmque convocatis, leges Danicæ mutatæ sunt, ac proinde hoc fœdus Juris habere cœpit vigorem.

Hæc omnia eo accuratiùs referenda censuimus, quòd ex hoc negotio (quo nihil tetrius aut insanius,) orta est, nullâ re intercedente, hæc rerum conversio in quâ jactitamur.

Ea quæ inter Danos acta diximus, intra illius gentis ambitum quinquennii cursum habuerunt: ex edicto enim anni 1846, usque ad fœdus Varsoviense, anni 1851; exinde civitatis fines prætergressa, per quindecim annos Europam peragrarunt, a fœdere Varsoviensi usque ad prælium, anno 1866, Sadowæ dimicatum: et simul, eodem temporis intervallo, in Italiâ colligebatur messis, per apographam illam anni 1847, et a missione Domini Minto, seminata. Variæ quidem Russis adesse poterant causæ cur Italiam impeterent: fœcundum Italiæ solum non paucis earum mercium vendendis obstabat, quæ Russis pro fortunâ essent; immo, uni cuidam, magno reverâ erat periculo: sicut et olim, magnam occasionem præstitit tum

ipse situs terræ,* prælongæ adeò et objectæ, tum incolarum indoles nimiùm infirmata, quæ finitimos populos ad impugnandum facilè alliceret, ipsasque dominationes pessum dare valeret. Hæc omnia aliquo modo in causâ esse potuissent; at procul dubio per Italiam, Russi, Summum Pontificem intellexerunt.—In Italiâ, Papa, solus appetebatur. Ipse, ab Italiâ exorsus, Jus Orbi Christiano restituere capax, ordinem et pacem. Papa Ecclesiæ Occidentalis est Caput, quam dum concorporare se velle simulant Russi, evertere laborant. Italiâ periclitante, non minùs periclitabantur plagæ Orientales, simul cum Occidentalibus; periclitabantur Poloni, et ipsi Russi, haud secùs ac Europæ et Orientis incolæ. Ut Supremus tandem attingeretur Pontifex, ansa præberetur si Italia insurgeret contra dominatores suos: quod si fieret, tentaretur civilis potestas Episcopi Romani, quo sublato, spiritualis ejusdem auctoritas nullo negotio everteretur: de quâ quidem auctoritate spirituali, prout nunc fit, modicùm forsitan curabant Russi; at probè cognoscebant, hanc potestatem formâ judiciariâ olim exercitum fuisse, ita ut non modò Fidelium tangeret conscientias, sed etiam res

* Il bel paese . . . .
Che l'Appennin parte, il mar circonda e l'Alpe.
Dante.

. . . . terramque beatam
Quam mare dissociat, quam vastis rupibus Alpes;
Per mediamque jugum protenditur Apennini.

politicas Europæ ita moderaretur, ut supremum regimen, in omnibus, Russorum Imperatori auferretur. Talia fuisse Russorum desideria, talia vota, haud difficulter percipiet quisquis vel leviter rem considerat; et ex actuali rerum decursu, idem judicium necessariò exsurgit. At reverâ majus quiddam evenit, quam quod percipi facilè posset, vel etiam pro possibili haberi. Id namque egerunt Russi, ut dum perturbationem anni 1848 pararent, ipsi Pontifici ejusque Ministris celarent quid agerent; celarent ligamen arctum, tacitum quamvis, quo conjungerentur et cum Anglis et cum seditione, simularentque omni nisu conari, ut tum contra Anglos, tum contra seditionem, Pontificem tuerentur. Tum pecuniam, tum copias militares sese amplissimè daturos præstiterunt Russi; nec erubuerunt dum gratias agebat Pontifex quòd, Russorum operâ, milites Galli ad Romam defendendam missi fuissent.*

Non est cur credamus Pontificem oblitum Poloniæ patriis legibus spoliatæ; et Russorum Impera-

* "Jam a mense Februarii, anno 1848, Gubernium Petropolitanum hoc modo epistolam misit ad Pontificem Romanum :—'Procul dubio, Sanctus Pater Imperatorem Russiacum valde sibi amicum inveniet, qui niti velit ut omnis auctoritas, tum temporalis, tum spiritualis, Pontifici restituatur; omnia agent Russi quæcunque ad hunc finem facere videantur; abest etenim a Russorum corde omnis simultas erga Pontificem Romanum; omnis, etiam religionis causâ, exorta malevolentia.'" —Farina, *Stato Romano*, tom. iii. p. 215. Vide Opus, *The East and the West*, Auctore nobili viro H. Stanley.

toris propriâ auctoritate in dignitatem Patriarchalem ingesti ; insuper et oppressionis ab eodem Imperatore in Orientales sibi spiritaliter subditos exercitæ. Sed tamen nemo unus inventus est qui Russiam seditionibus ad fines suos uti crederet. Omnibus quippe persuasum fuit Russiam omni seditioni esse adversatam. His tamen non obstantibus, necessarium fuit ut benevolentia Petropolitana erga Romam, saltem aliquâ non careret explicatione. Talis igitur non defuit explicatio : Russiæ nempe et Romæ moderatores, ad idem, ad " ordinem " scilicet, prospicere. Equidem, (et id animadversione dignum videtur,) hoc ipso tempore fautores seditionis pecuniam a Russis accepisse, non aliâ de causâ quam quod ad idem pars utraque prospiceret : iidem verò ad ordinis prospexere turbationem.

Qui perturbationes in Europâ factas historiæ mandavit, notat, ideò ab ineunte sæculo 18^vo^ difficilem conscriptu factam historiam, quia Jus Gentium observari desierit. Hodie verò evanuit ipsa Juris notio ; vel quod etiam pejus videtur, Juris nomen non alium ob finem usurpatur, quàm ut perperam ad facinus, nescio quod teterrimum, indicandum : atque ideò hominum negotia in inenarrabili quâdam rerum confusione versantur. Illi Juri quidem, quod abrogatum prætendunt, aliud Jus subrogare simulant nonnulli, quod " Internationalis " nomine gaudeat et ex fœderibus collatis constet. At licèt mirum dictu possit

videri, non minùs tamen est verum; ex omnibus, quæ nuper icta sunt, fœderibus, ne unum quidem invenitur, celebri illo Viennensi non excepto, quod inviolatum permanserit; adeò ut jam tandem ipsa fœdera pro lue grassante vel, ut aiunt, pro miasmate quodam habeantur.* Non ampliùs intelligebatur quantus fœderibus, sicut contractibus positivis, inesse debeat vigor; fœdera tamen in locum Juris Divini et Gentium, subrogare nonnulli conari deteguntur.†

Olim quidem, quoties grassabatur vis fræni cujuslibet ignara, non defuit quoddam remedium: quinimmo remedii notio sponte surgebat: notio utique Juris servandi. Iis quidem temporibus, immo omnibus sæculis anteactis, facinora identidem sunt admissa, nec lues ulteriùs serpebat. Corruptis cordibus, humano generi restabat intellectus: et loquelam, si quis eâ uti vellet, ad nutum

* "Fœdus Gasteinense jam vivere desinebat." Verba sunt Domini Rouher.

† "Nec clariùs, nec tetriùs indicatur illa omnipotentiæ ambitio cui inhiat dominatus popularis, quam per Jus illud primarium neglectui datum, quod fidem Fœderibus debitam appellarunt, quotquot honestatem publicam habent cordi, bonumque sensum." (De Broglie, in folio periodico, *Revue des Deux Mondes.*) Hinc fit ut hisce temporibus morbus perceptus ad remedium percipiendum nequaquam ducat. De Fœderibus Juris loco substituendis, et Juris nomine designandis, primùm agitabat Russia anno 1806, nec aliâ conditione vellent Russi consentire paci Gallos inter et Anglos, tunc temporis ineundæ. Huc etiam utique spectabat quòd, in Fœdere Viennensi de veteribus restituendis nullus erat sermo, ita ut pax nullo alio fundamento quam seipsâ stabiliretur.

habebat suum. Hodie, non a catervis barbarorum, novis agris inhiantium, oritur rerum turbatio, nec ex victorum fastu triumphos ambientium. Scelera luunt illi per quos fuerint admissa : ipse nempe intellectus pervertitur ; infidus fit sermo ; hisce de causis facilis ex unâ parte erit rerum restauratio, ex aliâ parte difficillima: facĭlè quidem erit id restaurare quod a Jure exigitur, modo idoneus non desit interpres ; at talem reperire interpretem est perdifficile ; hisce inquam temporibus, ubi omnia in pejus ruerunt, ob falsum sermonem vulgò adhibitum, contempto more verum dicendi.

Quis tandem de *Legibus*, vel de *Justitiâ* disserens, audietur, ubi de *Opinione Publicâ*, de *Civilisatione*, de *Progressu*, fit omnis sermo ? Quæ si ita se habeant, unde orietur *pax hominibus bonæ voluntatis ?*

Istam quidem loquendi rationem jam antea Summus Pontifex condemnavit; curam autem eam perscrutandi, et quam inanis ea sit demonstrandi, non suscepit. Res per exemplum illustretur. Declaratio edita de voce "Progressus," tanquam dictu minimè legitima, maximè juvabit volentem mandato parere, quippe quem a loquacitate rationis inimicâ, pravisque animi habitibus, falsisque ratiocinationibus liberârit.

Qui autem recusaret istud vocabulum, solummodò quod vetitum sit, proferre, et simul vanitatem ejusdem ignoraret, ille non sine damno suo hoc audiet vocabulum : neque aliis causam

hujus silentii exponere valebit. Incapax reddendi rationem cur ab hâc voce abstinendum arbitretur, ipse tum a se, tum ab eis quibuscum colloquitur, minoris æstimabitur. Amittit fructum ejus disciplinæ quæ falsum spernere docens vocabulum, generationis novæ (pænè dixerim) partes agit; cum simplex obedientia contemptui est obnoxia apud homines hujus temporis, a quibus omnis Dei cultus pro merâ superstitione, Deique cultores pro imbecillis habentur. Hunc jam fingamus Catholicum a Parocho suo edoctum, qui et ipse a Summi Pontificis ore doctrinam receperit; unde fit ut rationalem errorem viâ Rationis, non meræ Religionis vel Auctoritatis, calleat explodere. Quantum discrimen! Ipse non alio modo ac Dominus ipse Christus Pharisæos, Socrates Sophistas convincebat, ad convincendos adversarios aptus efficeretur. De ipsâ vocis significatione interrogans, percontaretur quænam existat relatio inter methodum quandam de veritate disserendi, et vocabulum per quod motus designetur materialis. Definiri juberet tum campum geographicum per quem moveri quid asseritur, tum etiam quid sit, quamque latè pateat, id quod movetur. Ulteriùs rem urgendo, peteret adumbrationem aliquam illius futuri temporis adhuc nobis ignoti, quod versus "progrediendum" est. Ad expressam impelleret declarationem de hoc *Progressu*, utrùm necne sit in rectâ viâ ad singulorum casuum notitiam, ad exactam Legum

definitionem, ad moderamina ab unâquâque Republicâ adhibenda, ad actus publicos ritè cohibendos, ad impensarum rationes inspiciendas, ad omnia, breviter, quæ minùs utilia, justa, licita sint, impedienda. Ipsi semper restaret, ut ostenderet, alterumque scitè interrogando confiteri cogeret, ex quo tempore vocabulum istud vulgatum sit, genus humanum in deteriùs commutatum. Hoc modo adversarium convinceret et confutaret, dum simul demonstrat amphibologiam non perfectarum esse, sed deficientium humani ingenii virium.

Licet indoctis doctisque condere, scriptoque mandare, sententias: at propositâ sibi quæstione statim omnes—docti pariter indoctique—animo confusi hærebunt.

Non alia est loquelæ ratio, alia loquentis: forsan turpes rectis verbis utantur: at nulla gens integra manebit, sermone corrupto. Terminis non definitis, nulla Scientiarum humanarum cultura, immo nullæ Scientiæ. Neque ulla Lex obligat, terminis minimè legalibus contexta. Fidei quoque Articuli in terminis definiendis prorsùs consistunt.

Jam verò compertum habemus, novos terminos in omnia Europæ idiomata esse introductos, quibus singulis duplex tribuitur significatio; dum simul jam hesitatur aliquo modo, etiam circa ea principia quæ olim pro certissimis habebantur.

Inter ea quæ modò diximus, aliquam saltem dari connexionem, ex duplici fonte colligitur: fieri, inquam, nequit, quin vocum ambiguarum

usum consequatur, tum prava ratio agendi, tum omnis fidei eversio. Voces hujusmodi introductas vidimus, nec defuerunt supradicta illa consectaria.

His igitur positis, nullum est dubium quin ad res restaurandas ab istorum exclusione terminorum incipiamus oporteat; cui quidem operi jam antea Summus Pontifex manum admovit, dum Catholicæ Religioni, immo Christianæ, adversari, denuntiaret illas ipsas dictiones, quas, ex seipsis omni proprio sensu carere, easdemque simul fallaces, alii jam demonstrarunt.

Ad hunc finem plurimùm conferunt Sacræ Scripturæ, Catholicis; quippe quibus onus incumbat eas studendi, et earum naturalem imprimis sensum indagandi. Ita quædam fit præparatio ut, fallaciis debellatis, homines ad meliorem frugem vocentur, atque ad *Pœnitentiam* reducantur, quin ulla dogmatum ratio habeatur. Tales in Catholicâ Ecclesiâ vires latent absconditæ, quibus et ipsa Ecclesia sese gaudere nesciat, et quas existere nesciunt cæteri, donec tandem aliquandò actu prodeant.

Eodem ferè tempore quo immutatus est communis hominum sensus de homicidio patrando, simul facta est mutatio quædam quod ad modum spectat quo in civitatibus Europæ res publicæ aguntur; ita ut munus quod olim inferius esset administrationis devenerit omnium supremum. Hunc principatum adipisci contigit illi parti Gubernii, cui rerum exterarum cura incumbit; unde orta est arcana agendi ratio, fons servitutis. Hanc

mutationem operata est ea in Rebus (ut aiunt) Orientis, Interventio; per quam, scilicet, confusio inenarrabilis in rebus inter diversas gentes agendis supervenit: et si eos excipias qui in eâdem versabantur, nullus mortalium cognovit talem exstitisse confusionem, antequam de Græcis cœptum esset agitari. Is magistratus a quo res exteræ sunt administrandæ, omnis reprehensionis, omnis inquisitionis expers, ipse per se valet incitare gentem ad bellum; dein "moralem," ut aiunt, "influentiam," in aliam quamlibet exerere gentem; ac denique res internas suæ gentis turbare, libertatem internam evertere, plures milites conscribere, expensas augere, vectigalia nova imponere, æs alienum majus conflare, et simul hæc agendo, amorem patriæ et religionis avitæ ex multorum civium cordibus evellere. Accedit huc quod, seditiones dum directè fovet in nonnullis gentibus ad hoc designatis, parat in omnibus. Eo tenditur infortunii ut honestum omne regimen fiat impossibile; ut via struatur nescio cui potentatui vel populo, qui intellectum simul incorruptum et loquelam retinet; cui porrò supremum in Europâ tandem reservatur dominium.

Priusquam hanc perficiamus materiam, haud abs re erit ut ad ea revertamur quæ anno 1602 a Genevensibus acta narravimus: exinde enim non modo multa discemus, sed quasi ex Pharo quâdam, multam lucem ad cætera dignoscenda accipiemus. Hic quasi limitem habemus inter duos distinctos

rerum ordines, haud illi dissimilem quem olim Cornelius, brevi sermone historiam Romanam complectens, *finem æqui juris* appellavit. Hic etenim est videre quâ ratione Respublicæ Minores hisce ultimis temporibus fuerint absorptæ, et simul cur eò usque duraverint quin priùs absorberentur. Quoties facinus aliquod, omnibus hominibus odibile, impunitum evadere permittitur, tunc scilicet fit frequens, et dum frequentetur, novum induit characterem. Ita re factum videmus. Cum enim prædatores a constitutis imperiis vulgò ad prædandum mittantur, sequitur ut a semetipsis deinceps proprio stabiliantur nomine, et ad unam alteramve gentem aggrediendam conveniant. Porrò cum priores hujusmodi conatus pœnis non fuerint subjecti, posteriores deinde simili gaudebunt impunitate; unde fit ut prædonum molimina pro usitato rerum statu habeantur; ac spe impunitatis inducti, ad nefarios conatus aguntur homines, tum adversus Sultanum tum adversus Pontificem Maximum; haud secùs ac eadem spes falsis monetariis animum adderet. Immo, illi Principes quos contra fit aggressio, cum principatûs jura hâc in re non exerceant, profectò et ipsi in hâc universali rerum eversione participes fiunt. Hi verò non ducuntur in pejus per passiones, neque utilitatem exinde, ne apparentem quidem, sperare possunt. Debilis igitur animus in causâ est; peccatum utique omnium maximum in iis qui vicariâ gaudent auctoritate. Huic certè ingenti malo vel unus

per se, modo fortem gestaret animum, quolibet temporis momento, satis obstare potuisset : immo etiam hodie obstare posset.

Nihilominùs, ut veritati inserviamus, talia audentes non pro prædonibus sunt habendi nec pro piratis. Hi etenim aliquid lucri sibi propositum habent : necessitas fortè urget ad scelera admittenda ; excusant prava consortia ; periculo certo sese objiciunt ; denique conscii peccant. Quanto probrosiùs ille homines trucidat sine talibus motivis, qui nullis hujusmodi subjacet illecebris, qui periculis nullis obnoxius est, qui nullam hujusmodi sceleris habet conscientiam ; qui tandem intellectuali subditur perturbationi : quâ crudelior nulla hominum corda regere potest, nec de quâ edomandâ minor spes eluceat :—quæ quidem perturbatio eo vilior videtur, et eo minorem spem præbet, quo se sanctiori præ se fert urgeri momento vel nobiliori. Quæ in corde nascuntur passiones iis sunt similes quibus excitatur jumentum quoddam vel bellua ; quæ sanè, dum ei satis fuerit factum, quiescit. Quæ in intellectu sedem habent humanæ, sunt illæ quidem, adeò ut servituti Dæmonis subjiciatur imago Dei. Quæ si proruperint vel ipsum carnificem territum videmus ! Quod si idem fatum nacti fuissent ii quos anno 1862 Rex Sardiniæ conduxit latrones, quo oppressi jacuerunt anno 1602 Ducis Sabaudiæ mercenarii : si vel in unâ civitate Siciliæ, nuper inventi fuissent ita cordati homines quales tunc Genevæ, parcendum

profectò fuisset Italiæ quin eo quo vidimus modo "constitueretur"; necnon quin eo, quem mox videbimus modo, hæc "Constitutio" irrita facienda esset.

III.

Salutem Societatis per Leges tantummodò obtinendam.

Jampridem tertiæ Quæstioni nostræ respondetur; næ, satis superque jam est responsum quùm methodus fuerit proposita a nobis adhibenda: hæc autem in liberando mentes hominum consistit a nonnullis fallaciis, quæ omnes profectò sponte suâ evanescunt, simul ac cernitur, non minùs peccari ubi multi adversus multos certantes trucidant, furantur, res alienas concupiscunt, falsa denique testimonia proferunt, ac si singuli contra singulos eadem admittunt facinora. Hæc qui nesciat, oculos habet divino judicio obcæcatos. Quâ cæcitate stante, ferè eadem est civium conditio, quod ad mores attinet, ad conscientiam, negotia, et ipsam denique existentiam, ac si, (ut de rebus materialibus loquamur,) omnis auferretur lux naturalis et arte facta, donec homines tandem per tenebras viam utcunque facere cogerentur. Tunc si quid a quopiam tentaretur, ad nihilum misero inservirent conatus; opes etiam amplissimæ et ad manus positæ esurientem dominum aut sitientem satiare nequirent: periret tandem infelix, pereuntium simul hominum fœtore oppressus, eo

omni non obstante quod in suos usus suppeditasset Deus, quod ad exaltationem Fortuna addidisset.

Ableganda utique est vox illa Juris Internationalis: per ipsum etenim additamentum patet quam sit abjecta desperandaque rerum conditio. Fons hujus conditionis in propatulo ponitur, dum intellectus vilescere ostenditur: reverentia revelatur Juris et Æqui, quam parva sit; quod nisi se ita haberet, nec vilis fieret intellectus, nec abjecta rerum conditio. Præsidet utique Jus, regnat Jus, de Cœlo Jus descendit. Jus super omnia eminet. Jus igitur Nationale pro sancto est habendum: at particula illa "Inter," omnem exinde tollit sanctitatem. Si quis hanc phrasim Anglicè proferre voluerit, eam tum sensu carere cognosceret, tum despectum quid præ se ferre sentiret.

Jus Gentium definitur etiam Jus Naturæ, Jus deinde Divinum. Propter essentiam suam benè potest a Naturâ nomen desumere, vel a Deo; a Gentibus etiam; quippe quod omnes regat Gentes et ab omnibus acceptetur. Nihil utique aliud est ac præcepta Decalogi Communitatibus applicata: quæ qui servaverit populus, fidem servabit, honorem, libertatem, auctoritatem; immo in æternum durabit, modò cetera non desint necessaria. Qui verò populus sine justâ causâ alterum oppugnat, jam perdidit innocentiam et honorem, libertatem simul et fidem: nec unus quidem inibi *Civis*,

nullus *Christianus*, nullus *Vir* denique invenitur, modò excipias eos, si qui fortè protestando denuntient.

Propriè demùm ac benè Jus Gentium nuncupatur; quia per se solùm de actionibus tractat aggregatis variarum Gentium, et sua de iisdem fert judicia. Non aliud est ac Jus Civile, tum quod ad publica, tum quod ad privata, spectat judicia, in quantùm toti Communitati potest applicari. Accipe jam definitionem quam de Jure Gentium protulit jurisconsultus inter Anglos insignis: "Tale est utique Jus Gentium,"—verba sunt Mansfieldii—"Jus quoddam Universale, quod nullibi ac in Angliâ latiùs patebit: cujus vigor per Leges Antiquas Angliæ agnoscitur, quod in ipso Jure nostro Civili suum obtinet locum. *Leges a Parliamento latæ nequeunt hoc Jus Gentium immutare;* neque ex hujusmodi Legibus cognoscitur ipsum Jus, nec modus quo lites subinde exortæ dirimi possunt, sed ex diversarum usu Gentium, et ex Scriptorum auctoritate. Potuit quidem fieri identidem ut a nostris legibus Jus Gentium confirmatum sit, vel servatu facilius reddatur; quæ quidem Leges non novum Jus introduxisse censentur, sed potiùs declarâsse ea quæ jam ab antiquo fuerint in Regno nostro libertatis fundamenta. Nullis denique Gentibus tribui debet laus humanitatis apud quas Jus Gentium non sit in honore."

Deinde, fortiori quodam pacto, Jus Gentium

nuncupatur illud de quo agimus, quia ipsis incumbit Gentibus cura hocce Jus exsequendi. Quod quidem exsequi Gentes debent ADVERSUS PROPRIOS IPSARUM MODERATORES. Non alio sanè ritu possideri in orbe terrarum pax potest aut servari, quam ut Gentes Moderatores suos prohibeant, "ne *justo* tramite excedant." Pax turbetur necesse est, modò cura servandi Juris Gentium Vicariis remittatur; Moderatores dico, quibus facultas datur hoc Jus applicandi, idem interpretandi, ac pro lubitu immutandi. Hoc utique modo, eo tandem devenitur ut Gens aliqua "pro Jure habeat quidquid egerint Principes:" ut verò pristinus recuperetur status, oportet oriantur quidam ceteris dissimiles, qui doceant, qui reprehendant.

Sed gravior adhuc restat consideratio quæ tempus futurum respicit. Jus Gentium si non servetur, necesse est ut tandem pervertatur; dum ipsius nomen, formulæ, auctoritas, tanquam nebulæ Orbem obscurabunt. Illud igitur homines astuti, quasi fucum et prætextum, objicient facinoribus suis, adeò ut deinceps ex hoc præsertim fonte bella dimanent et discordiæ.

Per exiguam rimulam subintrant solis radii. Invitæ utique delirant gentes, peccant, trucidant, malè habent. Quâ de causâ, quotquot in hoc rerum statu cernere valent homines, studio replentur magno, laboribus non parcunt, auctoritate pollent. Utut paucorum nulliusque momenti hominum, labor tamen fortè est fructuosus.

Et re quidem verâ, non ab hominum numero pendent ea quæ intellectu perficiuntur. Præsens siquidem hæc humani generis conditio ab *uno* tantùm homine fuit elaborata.*

Vexat enimverò, debetque cessare, non solummodò sanguinis effusio, sed illiciti cujusque generis actus, tum commissionis tum omissionis; illatæ, permissæque, injuriæ. Modò in Angliâ exstitissent probi aliquot viri, multis novitatibus obstitissent: etenim, anno 1854 Anglia non amandâsset ea omnia quorum ope hostem comprimere potuisset; nec anno 1856 copias navales aliis gratuitò remisisset; nec anno 1863 classem piraticam præparâsset; nec recusâsset injurias ab illis illatas annis 1864–1867 reparare; nec tolerâsset ut inter finitimos nostros, aliosve potentatus, regna pretio numerato commutarentur; neque ut portus essent obsessi, quin aliqua saltem existeret Belli species; nec permisisset ut Legati nostri inferiores, quos Consules dicunt, rebus civitatum internis, in Oriente, sese intermiscerent; nec tractâsset de removendo ipsum Societatis Civilis fundamentum, subditos nempe a fide erga Regem juratâ absolvendo; vel, ut uno verbo dicam, quidquam evenisset eorum omnium quæ nuper nos catervatim oppressere nova proposita, antehâc passim ignota. Hæc autem omnia, et his similia quæ subsequi debent, necessariò oriuntur, semper ac homines sibi excusationes

* Palmerston.

prætendunt ut ab omni regulâ agendi liberentur. Remedium autem ad hoc, cum simplex sit pluraque complectens, vel, pro eâ saltem quâ gaudet novitate, ad se profectò mentes hominum debet attrahere. Nova et inusitata, magno utique sequimur ardore: justitiâ autem nihil magis novum minùsque usitatum.

IV.

Jus restaurare debet Pontifex Romanus Ecclesiæ Caput.

Utrùm Ecclesia Catholica hujus restaurationis perficiendæ sit capax, id ex indole hominum quos hodie nutrit pendere dicendum est. Huic Ecclesiæ necessariò incumbit ut conatum aliquem adhibeat, tum propter faciem sceleris recens mutatam, tum ex eo quod sibi auctoritatem vindicet docendi fidelium conscientias.

Verba quidem a Summo Pontifice prolata, dum dulcem in se continent promissionem, nonnihil tamen incutiunt timoris. Per hæc verba, Ecclesia sibi aliquid momenti in re politicâ superesse proclamat, cum jus sibi vindicat Appellationes audiendi. Hæc, quatuor abhinc annis jurisdictio asserta, nullum tamen adhuc sortita est effectum: immo, nec unâ vice executioni est mandata. Dubium igitur exsurgit circa sensum verborum quibus usa est Ecclesia; quis tandem sit. Ex quo prolata fuerunt illa verba, status rerum non idem remansit; siquidem, ex illo tempore, Ecclesia

probâsse videtur, quæcunque reprehendere omiserit vel damnare.

Attamen ut de sceleribus politicis sententiam ferat Auctoritas Religiosa, non est cur exigatur publica hujusce Juris postulatio. Quinimmo, simplici quâdam ratione proponi res potest, ut veritas per se pateat. Fieri quidem potest ut nullo jure ab Ecclesiâ Anglicanâ vel Borussicâ exigatur publica sententia de bello ab his Guberniis suscepto, utrùm sit licitum: nihilò minùs non idcircò Romanæ Ecclesiæ onus hujus officii deponere licebit; quippe quæ pro Catholicâ seu Universali se gestet, atque adeò fidelibus ex utrâque parte militantibus imperet; et quum justitia nequeat utrique adesse parti, nequit Ecclesia Romana, dum sileat, sceleri non patrocinari.

Hisce ferè verbis rem prout est, exposuit, Antistes ille egregius, Episcopus Moguntiensis.

"In sæculis hisce nuperrimis, posteaquam mandatis Dei fuit valedictum, formula quædam, iners omninò, in eorum locum fuit subrogata, quæ non aliunde deducta videtur quam ex staterâ mercatoriâ. . . . . Haud parvum, mihi crede, periculum injicitur Orbi ex separatione istâ, quâ Jura Gentium a Lege Dei seorsim sumuntur; ex falso isto principio, ut in Politicâ Scientiâ de fine capessendo, deque rationibus adhibendis, aliâ prorsus normâ judicari debeat ac de justitiæ morumque vulgatis quæstionibus. Inde bellum perpetuum vel simplices induciæ, Belli Universalis exordia.

"Hinc est quod acri animo dolendum sit Religionem in hâc Politiâ pro participe fuisse inductam. Nec benè actum videtur ab iis qui nuper Religioni, ejusque ministris, dictavere, ut quandam hisce violentiis religiosam accommodarent sanctionem. Sæpenumerò in templis personuere cantica, dum Deo gratiæ agerentur pro victoriis a Deo maledictis, nedùm ad Ejus gloriam facientibus."

Hisce igitur vocibus usus est olim Episcopus Moguntiensis, quin tamen distinctionem percepisset, injusta inter bella, et illicita; sed ad priora tantummodò spectans, illaque nostrorum temporum probrum ratus, et periculum: indignabundus tamen et dolens, immo horrens indicat Religionem, dum armis adversis benedicat, ipsam esse exsecratam.

Testantur hæc conscientiam perturbatam, cor afflictum. At verò quam hujusmodi valeant affectus, etiam cum egregiis animi dotibus conjuncti, ad medicinam inveniendam atque applicandam, dum desideretur necessaria rerum circumstantium cognitio, imprimis ex illo, unde pauca supra excerpsimus, libro cognoscitur. Hoc item, in opere cui titulus "Germania qualis sit post Bellum Anni 1866," de causis hoc bellum inducentibus, tractaretur necesse erat. Harum causarum prout reverâ exstiterunt, ne unam quidem auctor perspexit. Nonnulla de Danis præ errore narrat, et ex falsis his præmissis, statim falsas deducit consequentias. Demùm de terribili illo ac sacri-

lego Fœdere verba faciens, cui Sancti Fœderis nomen inditum, benè factum appellat, et multorum fontem bonorum ; quod cum non fuerit executioni datum, non aliunde præsentem rerum conditionem exortam censet.

Quapropter, etiamsi Gregorii Magni, Gregorii VII., Innocentii III. nomina, sponte suâ veniunt in mentem, cuilibet adhuc spem aliquam retinenti, (cujuscunque tandem Religionis partes sequatur, immo, nullo habito discrimine utrùm ulli Religioni nomen dederit, necne) ; hodie tamen longè graviora Pontificibus incumbunt onera, quam ut matrimonia illicita prohibeant, vel Reges sicarios excommunicent, iniqua restringant vectigalia, vel ut bella etiam *injusta* damnent.

Nunc enim dierum non de activo influxu in rebus publicis contenditur, sed desideratur Judicium, idque, præsertim, de criminibus. Auctoritas autem sic exercenda non antea sentietur quam fuerit exercita. Neque exerceri poterit nisi illis dotibus, illâ rerum cognitione præditus vir prodierit, qui et infinitè sese abnegare voluerit et devovere, non alio modo ac ubi hæc omnia in Gregorio conjuncta, miranduin illud systema progenuere, quod sub Ecclesiæ Romanæ nomine designamus ; quæque omnia in Pontifice quem feliciter regnantem læti videmus, conjuncta, modò tempus ipsi non desit nec humana auxilia, eandem Ecclesiam restaurare valuerint, ipsam Civilem Societatem instaurare et servare ; illam dico Societatem

quæ, ut cum eodem Pontifice loquar, "in partes detrita jacet."

Quâ de re ita philosophus quidam Gallus, a fide Christianâ aversus: "Ne mihi referas GREGORIUM, LEONEM, URBANUM, INNOCENTIUM, aliosque complurimos, qui mille abhinc annis magnâ sanctitate floruerunt. Hoc enim poscimus, ut ipse nunc sanctus sis, ut proinde universitas moralis rerum, uno consensu, ad tuos pedes provolvatur."*

Minister Protestans quidam, nuper Decanus Ecclesiæ S. Pauli apud Londinum, dum de rebus antehâc gestis scriberet, quod nunc fieri potest indicavit; "GREGORIO M. Regnante, Pontifex Romanus primùm, re quidem et auctoritate, sin minùs nomine, Princeps Civilis evasit. Neque verò pro conatibus ambitiosis habendi sunt ipsius actus, quasi Ecclesia in jura Civilis Potestatis se intromiserit. Quæcunque egit, ex purioribus procedebant motivis, vel ipsâ necessitate cogente. Quum principes legitimi, incuriosi utique et inertes, auctoritate sese abdicâssent, hanc susciperet Pontifex, necesse erat, ni vellet Urbem Populumque anarchiæ deditum. Ea, quâ gaudebat auctoritas, communi omnium consensu nitebatur, qui eam beneficam judicarent." †

At verò, non minùs est Pontifex inter Reges nominandus: ex Principum grege habendus est; in iis tamen negotiis nunquam sese immiscuit, per

* "Fides Christiana," p. 59. Est opus Quinetii.

† "Milman's Latin Christianity," tom. ii. p. 130.

quæ, tum res in Europâ, tum mentes hominum, in tantam sunt deductæ confusionem. Fœderi Viennensi, tot fonti malorum, ipse nunquam assensit; immo, nullo non tempore adversatus est. Locutus est etiam nominatim et vehementiùs contra nonnulla ex iis sceleribus, in Poloniâ nempe et in Italiâ commissis, quæ communi impulsu patravit ista auctoritas, quæ, contemptis Nationum privilegiis, Europam proculcat.

Non minùs igitur oportet Pontificem, prout Rex est, testari adversùs crimina de quibus ipse increpari nequit, et quorum nihilo minùs ipse est victima, quam oportet eundem Pontificem, prout ipse est Romanæ Ecclesiæ Caput, docere omnes de grege suo fideles, cujuscunque ætatis; docere, inquam, ipsum oportet, homicidium non deesse, quoties sine causâ sanguis profunditur humanus; deinde, officia Religionis omnibus esse deneganda, sicut reverâ factum videmus de "Fenianis" in Imperio Britannico versantibus, qui, vel actu vel consilio, hujusmodi homicidii reus fit, sive directè, sive indirectè, laudando, vel opes, vectigalium nomine, suggerendo. Pontificis Principatus inter exiguos quidem fines continetur; at coram Lege et humanâ ratione omnes Civitates æqualibus gaudent privilegiis. Quare, etiam prouti jam res se habent, ea, quæ minima est inter Europæ Gentes, maximæ potest æquiparari. Omnium negotia Gentium sunt, ut ita dicam, invicem contexta; omnia secretò aguntur; atque ita qui astutior fuerit ceteris

hominibus dominari potest; et cùm ipsis omnia desint media per quæ id cognoscere possint quod de iis agatur, sensim sive sensu, ob oculos eorum tela nectitur, pedibus eorum laquei parantur. Ex his autem extricari nequeunt nisi per morum integritatem et bonam in negotiis indolem, quæ vel in uno inveniatur Magistratu, qui utut angusta sit ejus ditio, hujus salutis auctor fieri potest.

Hisce autem prædita prærogativis, Curia Romana per saltum potestatem obtinet, nulli toto Orbe secundam; ita ut resistat illi Imperio quod cetera regit, ad mutuamque urget internecionem.

Nunc agitur de modo quo hæ opes, in animo sitæ, acquiri possint. Ad hoc requiritur vir tali præditus ingenio, quali nihil rariùs in temporibus legimus anteactis. Neque meliùs hanc rem quisquam exposuit quam egregius ille ex Clero, qui hisce usus est vocabulis: "Gigantum hoc opus est: at verò non adsunt Gigantes, neque intra Ecclesiæ septa, neque extra."

Itane igitur desperandum est, nec conatus adhibendi? Minimè gentium. Etenim ubi aliquis difficultatem agnoverit, jam primum gradum, eundemque difficillimum, superavimus.

V.

Concilium Œcumenicum.

Ad hoc opus conficiendum nullum requiritur Concilium: siquidem nihil novi habetur cujus investigationem fieri oporteat, vel de quo novum

condi debeat decretum, novumque constitui tribunal. In Concilii conventu præter periculum nihil invenitur; quod, ipsum ob periculum, pro lucro est reputandum.

Quæ hic proponuntur, ea maximi sunt facienda, maximumque, nunc et in posterum, sunt habitura influxum. Si quid pro verè *magno* haberi potest conamine, tale utique illud est de quo agitur. Quocirca, in singulorum animis tantummodò potest elaborari: nec ullus omninò Cœtus idoneus erit huic labori.

Hujus profectò operis jamdudùm Pontifex jecit fundamenta: extolli tantùm debet ipsius moles ædificii.

Quod ad *terminos* spectat, horum errores jam denuntiavit Pontifex: eosdem sensu carere nunc demonstrandum remanet, ut Summi Pastoris gregi plenius lumen infundatur, eo fine ut bellum possit intendere contra fallacias, quibus obvolutus, omnis error continetur.

Inter cetera eaque magnæ virtutis, remedia huc conducentia, benè numeratur ea puerilis institutionis portio quam "classicam" nuncupant Angli; Galli "profanam." Iis etenim libris instituuntur pueri, quos nobis reliquerunt auctores tum Græci, tum Romani; qui nobis et exemplari prosunt et instructioni; harum enim Gentium casu instruimur, dum, jure meritò, earum lucubrationes imitemur. Homerus nobis pro Codice est Juris Gentium: Demosthenes contra eos testatur mores

quibus nos utimur; cujus verba eo potiùs valere debent, quia nonnisi iis neglectis in præceps ruerint Athenæ. Socrates, a nonnullis Ecclesiæ Patribus, pro prodromo est habitus Christianæ Religionis, cujus doctrina eò præcipuè spectabat ut in falsis terminis latentes detegerentur errores. Florente Româ, ideoque corruptâ, eadem illa duo apparent pericula quæ jam nostræ imminent Europæ; pericula minimè ab invicem sejuncta; falsos dico terminos et injustitiam. Nec solùm apud eos qui de moribus scripserunt hæc habemus: non alius est sermo eorum qui rempublicam gerebant, qui principibus accepti erant, qui poëseos laudem adipiscebantur. Nonnullorum ejusmodi verba proferam, talia etenim sunt nobis perquam opportuna.

Cato cives suos monuit amissa vera fuisse rerum vocabula. Seneca admonet Leges jam siluisse apud eos qui pro jure acciperent quidquid agerent Moderatores. Dum Cicero, sub Africani personâ loquens, stilo sui nominis non indigno, describit quid tandem debeat esse Communitas, hæc habet: Non solùm Respublica eadem est ac Justitia, at verò nonnisi per Justitiam existit, eamque summam. Apud Virgilium, tenebrosa Ditis regna magnam vocem ingeminant Thesei:—

Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

Neque aliter nos docet Flacci carmen:

. . . . Virtus, populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus.

Unde quæso, factum est hæc omnia, vel ipsis tironibus apprimè cognita, a viris, oblivioni data? Quid, quod nemo inveniatur qui has elapsorum disciplinas sæculorum, in commodum convertens suum, præsenti rerum applicet statui, ut ita juventutem succrescentem edoceat discernere falsum, justumque diligere. At verò, qualia erant falsiloqua Græcorum Romanorumque vocabula? Illis ex propriâ ipsorum loquelâ contexta sunt retia; hi verò paucis utebantur, ex Græco sermone desumptis terminis. Nos autem obruit ingens moles vocabulorum tum Græcâ origine tum Latinâ, quibus, simul permixtis, significationes addimus, quas nec Græci capere potuissent nec Romani; dum tamen assiduè ex aliâ parte simplicia propriaque vocabula nostræ linguæ amovemus. Quod cuilibet profectò patebit ad hoc animum parumper applicanti: videbit enim permultas esse locutiones Anglicas vel a Græcâ vel a Latinâ linguâ derivatas.* Qualem hæc omnia influxum habeant in hominem qui eò redigitur ut ea discere debeat, et simul credere ea aliquam saltem significationem præ se ferre, facilè concipiat quicumque adverterit hosce terminos nihil ex sese significare, in omnes regulas Logices peccare, et aptos esse ad pervertendum animos utentium. Hi termini

* Quæ diximus ad ea omnia referri possunt vocabula quæ in *ty*, *ence*, *ion*, *ite*, *ism*, et *ze* desinant; quoties videlicet in *secundâ* adhibeantur *intentione*. Quid sit *secunda intentio* videsis apud Logicos.

aliorum loco adhiberi possunt, immo et fuerunt adhibiti : at periculum adest ne termini nobis imponant; ubi videlicet illorum ope struamus cogitationes nostras, vel ex illis quid cogitandum sit deducamus, dum simul significationem in illis invenire credamus.

Debuerant quidem illi qui juventutis instituendæ curam susceperunt, prohibere ne discipuli terminos usurparent vagos seu sensu carentes ; ita falsis occlusissent ideis ingressum, quibus horum terminorum explicatio præstabat aditum. Hoc autem illi præstare omiserunt : quocirca hoc beneficium maturiori ætati ab Ecclesiâ conferendum est.

Opus forsitan difficile non immeritò videbitur ; at obligatio instat ; enimverò, utut sit difficile, pro impossibili non potest haberi. Quod si impossibile foret, spes nulla restaret, nulla salus. Quemadmodùm enim, si homines in numeris computandis ad falsam summæ integræ perveniunt conclusionem, quia et circa singulas errant partes, spes tibi adest corrigendi, et ad id conatus erunt adhibendi : sin autem ipsas summæ particulas pro veris habeas, nihil remanet quod agas. Similiter etiam si ex pravo cordis consilio procedit id omne quod agitur malum, spes omnis deesset, nec vi suâ gauderent verba, monitionis : tunc etenim duntaxat vox hominis valebit ad commune bonum generis humani, ubi per eos quos adhibent terminos decepti homines, ad id quod nollent agendum fraude impellantur.

Ut autem ad hoc deveniatur, necesse est ut id perfectè et absolutè persuasum habeatur, nihil prorsùs valere quodcunque, in hâc quâ vivimus ætate, pro vi intellectûs reputetur, cultuque philosophico. Quam sibi persuasionem unicuique suam facere licebit, modò velit vel unam auctoris alicujus hodierni sententiam sumere, et omnia delere vocabula quæ ex Græco deriventur fonte vel Latino. Quod reliquum est legatur : omissi termini ad nihil inservisse cernentur ; significatio, si qua adfuit, libera manebit, fallaciæ denudatæ relinquentur.

Ante oculos igitur hominum id poni debet, illas speculationes quibus hodie vulgò incumbitur, quod ad politiam attinet, esse futiles ; ad Religionem et morum regulas, detestabiles ; easdemque, intellectu tenùs, dignas esse quæ contemptui tradantur.

Quæ proinde omnia, ex Metaphysicis desumpta disciplinis, priùs tractanda sunt Concilio jam indicto.

Quod ad scelera spectat, fundamentum pariter jactum est, cum Pontifex Romanus suam in conscientias auctoritatem proclamârit non singulorum tantùm, sed et Communitatum, Gentium, ipsorum denique Principum. Hanc autem auctoritatem nondùm deduxit ad actum ; nec deducere potest antequam Lex ipsa fuerit præcisè designata. Quod quidem fieri oportet non solùm quoad Bella, verùm etiam quoad Legatorum Congressus, Fœdera, Protocolla. Etenim, ut nihil

dicamus de more isto recenti bellum inchoandi, nullis primùm adhibitis solemnitatibus, alia insuper nuperrimè invecta est consuetudo, ut nullâ necessitate cogente habeantur Congressus Legatorum : Fœdera etiam ineundi quæ tum formâ peccant, tum substantiâ : necnon Protocolla subrogandi Fœderum loco : Fœdera semel inita spernendi ; hisce omnibus denique novum quid addendi, sub Declarationis nomine, cujus virtute, res etiam internæ omnis Reipublicæ attingi possunt et perturbari. Regula ergò proponi debet, juxta quam, in omnibus hujusmodi negotiis, quid sit secundum Leges, quidve Legi adversetur, dignoscere possint Catholici : quod cùm fit, profectò, et non aliàs, auctoritate gaudebit Pontifex ; auctoritate nempe judiciariâ in Communitates, Gentes, et ipsos denique Principes.

Ipse quidem Pontifex nuperrimè debuerat sui *Principatûs* auctoritatem exercere in latrones quosdam *Gentis Exteræ*, qui ipsum Pontificem, cum agris suis et subditis atrocissimè sunt aggressi : neglexit tamen etiam in suo ipsius foro de Legum violatoribus pœnas sumere, ut ita reprimerentur mali ; debita innocentibus præberetur protectio : nec aliunde hunc neglectum ortum credimus, quàm ex eo quod res de quibus agimus, non nisi confusè a quoquam cognoscuntur. Sin autem ea præstitisset Pontifex quæ neglecta sunt, ipso suo facto Humanæ Societatis restaurationi dedisset initium : dum sibi ipsi, hujus scilicet

novi ordinis promulgatori, omnium reverentiam et fiduciam conciliâsset.

Quoties cum scelestis est agendum, omnis libertas tollitur: etenim, qui non persequitur scelus, hoc acceptat. Qui scelera quæcunque condonat, ipse se scelestum præbet. Quod, cùm de privatis sit verum, multò magis de Principibus est credendum. Jure quidem miretur quis opus esse nobis, ut talia proferantur; sed magis est admiratione dignum quòd prolata hæc minimè intelligantur.

At verò, hoc Juris Christiani codice semel sancito, nihil visu dignius concipi potest, nec sanctius, quam ut ad illum *acceptandum* Universa conveniat Ecclesia, atque ut de universo applicationis modo collecta sapientia consulat.

Porrò in hâc re non nihil periculi adest ubi res agenda sit in Concilio ex Clericis tantùm conflato, qui nec in Jurisprudentiâ polleant, nec in Metaphysicâ nec in Publicarum Rerum scientiâ: atque eò magis quia jam non ampliùs, sicut olim in medio ævo, omnis Juris fons habeatur Ecclesia; quia, inquam, hæc omnia in hâc fiunt ætate, in quâ et communis sermo fallax est, et omnium gentium negotia, telâ quâdam occultâ et mysterii plenâ, obvolvuntur.

Et re quidem verâ, indolis egregiæ viri, horum non omninò rudes negotiorum, hoc jam periculum reformidârunt. Inter quos insignis quidam hisce verbis est usus: "Concilium, vel destructioni inserviet, vel remedio." Neque aliunde quam ex

sensu hujus periculi oritur spes illa quam modò expressimus; fore nempe ut exinde aliquibus persuadeatur ut id præstent quod necessarium fuerit; scilicet ut in antecessum perficiatur hoc opus Concilii, atque ut benè perficiatur.

Neque verò illud prætermittendum est, integrum publicæ moralitatis campum a recenti philosophorum disceptationibus fuisse neglectum; Ecclesiæ scilicet lustrandus relinquitur. Inter ea omnia quæ investigationi sunt submissa, nullus fuit sermo de Bello impediendo.

Quotquot inivimus consilia in commodum humani generis, nullam methodum audivimus quâ minores fiant Rerumpublicarum expensæ. Convenerunt sæpè homines ut imbecillibus ferre possint auxilium, et injuriâ affectis; ad honestatis publicæ, morum, et boni communis defensionem, nullos convenisse novimus. Multi consilium inierunt Rempublicam "reformandi"; nemo de ministris coercendis, prohibendisque ne pro lubitu sanguinem profundant civium, et opes consumant.

Conventûs hujus negotium, saltem primarium, in perturbationes grassantes refrenando, non in dogmata vel disciplinam stabiliendo, versatur; igitur, non in Catholicorum tantùm, sed in humani generis gratiam Concilium convocatur. Et si alicui profuerit, jam proderit omnibus.

Omnes, quorum interest, in partem deliberationum admitti decet. Et reverâ ad Concilium Tridentinum vocatæ sunt civitates etiam Pro-

testanticæ, ut per Oratores suos interessent. Negari verò non potest, quin hunc solum finem sibi præstitura essent Imperia Europæa, si tali accederent invitationi quàm ut justam quæstionum prohiberent solutionem, et cuncta perturbarent. At verò Legum campus non ad Ministros pertinet, nec ad id quod "Legiferum Corpus" vocant, sed ad jurisperitos duntaxat. Tale utique consilium si quis haberet, ex ipsâ rei naturâ, immo necessariò, eos ad se vocaret qui rebus studuerint juridicis. Jus quidem Gentium nulli subjicitur Juri Civili: quod Jus saltem in Angliâ pro portione quâdam habetur Juris Civilis, quæ tamen non a Parliamento processit, nec a Regis auctoritate. Hoc Jus privatos plerumque, hisce nostris temporibus, habuit interpretes: inter quos qui præ ceteris eminent, Grotium dico et Vatellium, Protestantes fuerunt. Hi scriptores, etiam ab Ethnicorum Legibus et praxi, multa congesserunt, præsertim Romanorum veterum, apud quos Jus Gentium pro Jure Communi fuit, suos proprios habens Judices. Quodcunque cum exteris agebatur Nationibus, hisce solummodò, ceteris sublatis, subjectum est Judicibus. His enim rebus nulli Regi vel Consuli, non Senatui nec Populo se interponere licuit; hi enim nec bellum denuntiare valuerunt, nec pacem inire. In hujusmodi enim quæstionibus ii qui Rempublicam gererent pro unâ tantùm parte in lite habebantur, de cujus actis esset inquirendum. Collegio Fecialium, nullo in rebus

politicis munere gaudenti, at Religione simul et Jure plurimùm valenti, res tota commissa est, simulac controversia est exorta inter Gentem quamcumque Externam et Romanæ Moderatores Reipublicæ.

Ex hâc igitur præclarâ Gente præcipuè petita sunt exempla ab iis, paucis utique et nullâ pollentibus auctoritate publicâ, qui in hoc Jure studium suum posuerunt; dum principia illa exponerent quæ nuper ipsis plurimùm ponderis conciliârunt in foris juridicis, quæque, dummodò fuerint executioni data, pacem Orbi et ordinem servârunt. Privati igitur homines, dum bono communi studerent, suis benefecerunt, Juraque dederunt: quantò magis hoc poterit præstare Ecclesia Romana, quæ eodem sibi fine præstituto, non ampliùs operis materiam elaborandi munus haberet, sed solùm quæ jam sunt collecta applicandi.

Veruntamen non tota Europa Christiano gaudet nomine. Intra Europæ fines, Potentatus quidam Mahumeticus eum occupavit locum, qui, quod ad geographiam attinet et ad res politicas, primas partes in Europâ, quin et in universo Orbe, sortitur. Porrò, hæc Respublica tam longè abest quo minùs Pontificis consilio repugnet, ut videatur cum eo potiùs conspirare; nec tamen aliud invenitur per Orbem Gubernium quod non eidem directè, et ex ipsâ rei naturâ, adversetur. Hoc Turca et Pontifex Romanus commune habent, latronum impetus cæterorumque Imperiorum insidias susti-

nere : quin etiam et hoc, quod iisdem adhuc fruantur Legibus et moribus quibus olim Roma Antiqua. Horum institutorum effectus in eo cernitur quòd Turcæ, soli inter Gentes, abstinuerunt se a consiliis contra vicinos suos moliendis, et ab ineundo pactum cum aliis, eo fine ut res internas vicinorum perturbent, iisque auferant libertatem. Bellum decernere militesque conscribere, neque Consulibus Senatuique licuit Romano, neque hodie Sultano cum Divano suo licet.

Expectari debebat illic sententia Fecialium, hic Fetva Ulemæ ; neque quiquam pareret illi Sultano qui hâc omissâ bellum vellet intentare.* Vel ipsi milites gregarii, eodem haberent numero, unum de suis civibus trucidare ac collectam hostium cohortem. Illo etenim inconsulto cui incumbit officium vel concedendi Fetvam vel negandi, nemo in hujusmodi cohortem tela projiceret, haud secùs ac in Angliâ miles plebem tumultuantem non coerceret, antequam præscriptæ a Legibus formulæ fuissent servatæ.

Credent procul dubio Europæ incolæ qui ex suis

* Semel tantùm legimus in historiâ Turcicâ, hoc facinus fuisse attentatum : quod qui attentavit Sultanus, Mahmudus IV., capitis pœnâ est damnatus. Induciarum tempore bellum renovavit adversus Austriam. Quin et nuper sub novo hisce temporibus incepto ordine, ille ex concionatorum numero qui Constantinopoli eloquentiæ famâ et auditorum frequentiâ maximè gaudet, in Belgradii deditionem est invectus, quasi fidei proditæ reum simul et legum spretarum : nulla etenim fuerat *Fetva* obtenta.

propriis judicium ferunt moribus, non aliam ob causam Turcas ab aggressione et dolis abstinere quam quòd ipsis ceteri dolos intentant. At hoc admitti minimè potest: sublatis enim ejus moribus et indole, a nullo Potentatu majus periculum Europæ incubuisset, quam ab eo cui præter loci opportunitatem, suasisset libido commoda augendi, vel acceptas injurias vindicandi. Exemplum desideras? En tibi præclarum ex anno 1812 petitum. Turciæ multa tum a Galliâ tum ab Angliâ passæ, proposuit Russia pactum ineundum cujus virtute bellum susciperetur: terrâ marique copiis collatis, classes conjunctæ mare Mediterraneum ingrederentur, exercitus Lombardiam. Id quod somniabat olim Mahumetus II., Turcarum oblatum est oculis, quo non Italia tantùm sed etiam meridionales Galliæ provinciæ ambitioni suæ exhiberentur. Quâ de re communis nonnullorum sensus sufficere profectò potuisset ad rejiciendum suggestiones tentatoris: sin autem in Divano inventus fuisset aliquis Kaunitz, Beust, vel Bismarck; dolus tamen etiam hujusmodi hominum, atque corruptio, in proprium ipsorum dedecus evasisset: in illâ Gente ubi per Leges sancitum fuerit ut, talia antequam executioni mandarentur, de iis in publico consessu rogarentur sententiæ omnium, et debita per Fetvam haberetur approbatio: Summus Imperatoris Turcici Consiliarius, ubi ageretur de illâ conventione Belgradicâ, Austrorum Gallorumque Legatos alloquens, dixit: "Nostrum ignoratis

administrationis morem: neque enim Constantinopoli, sicut Parisiis vel Viennæ, unus et alter de omni re constituunt."

Hæc Romanæ administrationis ratio ab initio omnibus fuit communis: in hâc re Romani tantùm imitati sunt antiquas Gentes, præsertim Etruscos. Nec aliter reverâ in praxi agunt Angli. In Angliâ etenim non aliâ ratione judicium privatum dirimitur, ubi vel Gubernium vel ipse Rex actoris partes gerit, ac si inter idiotas res agatur; idemque fit ubi vel Gubernium vel Rex ipse, reus fiat ex petitione idiotæ: eâdem enim ratione omnes partes a judice tractantur, qui Gubernii Regisve actus trutinans sententiam fert pro parte alterutrâ, juxta res gestas et Legum cautiones.

Nec aliâ ratione judicium fertur quoties de iis modis agendi quæritur quibus Belli nomen perperam additur: quoties videlicet vel Angliæ subditos attingunt, vel exterarum Civitatum, et sunt ejusmodi ut de iis lites jure moveantur.

Tempore Primi Belli inter Sinenses et Anglos, lis quædam exorta est propter res gestas a copiis militaribus; et de eo præcisè fuit judicandum, utrùm quæ gesta sunt pro bello legitimo possent haberi. Omnibus eadem sententia fuit judicibus, *nullum exstitisse bellum legitimum.*

Nec aliter respondit inclytus Mansfieldius, ubi de injuriâ, Danis quibusdam a Gubernio Anglico allatâ, disceptaretur. Dixit aliquis omnia fuisse

acta ex jussu Gubernii; at ille: "Noli," inquit, "voce 'Gubernii' coram me uti; sensu etenim caret ista vox. Si quidem quæ jussa sunt justa erant, a Jure justitiam acceperunt; neque quæ injusta sunt, quocunque profluant ex fonte, justa reddi possunt."

Similiter et si quis contra militem quemlibet, vel ex gregariorum numero, vel ex præfectorum, litem intendisset de occisione Sinensium, judices capitalem sententiam de eo milite ferre debuissent. Leges ipsæ non desunt: desunt qui Leges applicare velint.

Verum est, hæc præsidia Communitatibus vitam et innocentiam contra humanas passiones servantia, quæ ab antiquis temporibus apud Turcas ad nostram eruditionem remanserunt, jam deflorescere cœpisse, Legatorum dolis oppressa, pravâque Europæorum sentiendi ratione. At non inter Turcas sicut in Europâ talis cohibitio nova videtur; nec quemquam offendit. Adhuc rempublicam gerunt Mahumetani; sentire possunt, immo sentiunt, quantùm ex iis quas inviti fecerunt usurpationibus sequatur injuriæ; neque ignorant periculum quod sibi ex Europæo Legum contemptu oriri possit. Dubitare igitur nemo potest Turcas cum gaudio accepturos quæ Pontifex proposuerit, iisque quodcunque potuerint auxilium laturos; neque verò parùm hâc in re essent valituri: quin etiam fieri potest ut per hæc adducerentur ad pristinos mores salutariter revocandos, et ad debitâ cum reverentiâ considerandum principia

illa, profunda simul et benefica, quæ utut obscura et neglectui data, suæ civitatis institutis præbuere fundamentum.*

Christo adhuc in terris degente, sub Mosaicis institutis vivebant Christiani. Ecclesia, quæ utique tunc temporis fuit perfectissima, Legibus quibusdam paruit in omnibus rebus quæ humanæ vitæ maximè sint essentialia; vectigalibus nempe non ultra modum augendis, munditiâ, eleemosynis, urbanitate. Eodem modo egerunt Islamiticæ Religionis fundatores, sicut et omnium quæ primævâ ætate floruerunt Religionum; atque adeò de Bellis jura dedit, quomodò sint inchoanda; quænam vectigalia sint licita; quo modo, quove tempore, balneo sit utendum; de eleemosynis, quotam partem substantiæ suæ debeat quisque erogare; denique de salutationibus quas sibi invicem debeant homines. Quibus de rebus ubi desunt limites regulares nequit Societas tanquam firmiter constituta vel duratura computari. Certè hisce etiam deficientibus adesse potest id quod vulgò "Civilisatio" appellatur; at profectò ea Communitas quæ talibus careat moderaminibus, nec religiosa nec honesta erit; munditiâ, misericordiâ, felicitate carebit; nec diù videbitur duratura.

Hæc moderamina cum Religio imposuerit, suis

* "Non in Mahumetanis modò, sed in omnibus Asiæ Rebus Publicis, Leges semper tanquam aliqua pars Religionis habitæ fuerunt."—Verba sunt Thomsoni, in Opere cui titulus, "Akklak-i-Nasiri," p. 121.

ipsa beneficiis sancta redditur; hinc est quòd ea incredulitas quâ nunc Europam obductam videmus, tunc prorsùs ignorabatur. In primordiis enim rerum homo omnia in Religione habebat: Religio tum Moderatores suppeditabat, tum fidem. Deficiente Religione, Gubernia surrexerunt Sæcularia. Jam tandem Gubernia eò devenerunt ut "ex iis ipsis conflentur moribus ad quos abjiciendos fuerint instituta;"* ut Religionem respuant quæ agendorum Magistra sit, dum tamen ejus auctoritate utantur ad facinora commendanda. Hinc fit ut Seditio simul et Atheismus incrementum accipiant et diffusionem: quæ tamen adhuc nullam sibi instruxere viam inter eas Gentes quæ ad huc ad Leges respiciunt tanquam ad partem quandam Religionis, et quibus ignota remanet distinctio, haud ita diù primùm inter Christianos exorta, juxta quam aliter de singulorum, aliter verò de universorum moribus statuatur. Ut probè noscamus quomodo hanc rem æstimaturi sint Moderatores Europæ, oportet consideremus quid ipsis ex ejus successu sit proventurum; neque enim quidquam vel primo ipsos fallet aspectu.

Tunc denique successum obtinebit Pontifex Romanus quandò cujusque Gentis cives de rebus gestis inquirere inceperint, utrùm sint licita. Exinde novum potestati tyrannicæ exsurget obstaculum. Illud etiam in periculum adducetur

* Lyttleton.

privilegium decernendi de Bello vel Pace, quod sibi acquisivit Concilium Ministrorum, sublatâ auctoritate Corporis Legiferi. Non ampliùs valebunt Ministri patriam bellis externis implicare, atque idcircò renuntiare debebunt consiliis vicinorum debellandorum, ditionisque extendendæ. Cum non ampliùs potuerint Ministri homines in prælio trucidare, verba minacia, sive primo Novi Anni die prolata, sive in apographis scripta, sive in monitis secretis, sive in "privatis" demùm epistolis, nullam vim retinebunt orbis perturbandi. Ars diplomatica existere desinet. Cessante autem periculo simul et timore, summa pecuniæ minuetur in copias militares impendenda.

Quâpropter, minuentur etiam vectigalia.

Legati permanenter apud exteros degentes suspicioni dabunt locum et terrori.

Omnia diversam per viam ire tendent ab eâ quam nunc sequuntur: sese omnes liberabunt Gentes a tyrannico Ministrorum moderamine; a fœderibus ineptè cum alienis Gentibus ineundis; a tributo ultra vires augendo, omnibus nempe facultatibus et illecebris gubernationis.

At non ii solùm hos effectus sentient qui publicis immixti sunt negotiis, sed idem etiam sentient ex infidelium numero, et seditiosorum, quicunque sunt actuosi et in rebus gerendis periti. Hi similiter percipient ictum magnum sibi suisque negotiis illatum fore. In scelere, in infortunio publico, scilicet in bello et vectigalibus, infidelitas seditio-

que cibum materiamque reperiunt. Id quod proponit Summus Pontifex Gubernia percutit et sodalitates, Ministrum simul, et infimæ Caput factionis, ampliori inhiantes auctoritati : quin etiam omnes quibus cordi sunt res novæ, quæcunque demùm illæ sint ; eos denique, non parvi ponderis, qui in foliis publicis novella venditant, scelera videlicet et seditiones.

Beneficia hinc obventura remota quidem et obscura videri possunt ingenti illi hominum multitudini, bonâ sed segni indole præditæ, qui messem debent dimetere : istis autem, numero paucissimis, qui ceteros movent, versant reguntque, damnum utique manifestum videbitur et instans. Isti planè perspicient in omni conatu Legis restituendæ, suam ipsorum artem periclitari.

Communitatum pax et incolumitas, necnon intellectus singulorum et probitas pessum data est per hanc quasi judicialem cæcitatem : hodie nempe nunquam cogitatur de pœnis sumendis de iis qui Ministrorum muneribus in Republicâ funguntur. Quidni ? militum lacerti ei deserviunt qui in rebus politicis consilium præbet. Hoc scilicet jam militi imponitur officium ut homines quoscunque jugulet, statim accepto Ministrorum mandato : cum se sacramento obstrinxerit obtemperandi in iis " quæ licitè jubeantur," etiam in illicitis obedit. Quæ cum ita essent, sperari equidem posset ut speciali quâdam severitate trutinarentur actus Ministri politici, ita ut de rebus gestis saltem ii plenè

respondere possent qui sibi hoc privilegium conciliâssent ipsorum subditos cogendi ut Leges transgrediantur. At non ita factum est; omninò aliter res evenit. Primò etenim Ministris permissum est ut mandata emittant, non consentientibus, immo rem ignorantibus illis, quorum consilio, saltem in Angliâ, Rex debet uti, quoties de Bello et Pace quæstio agitatur.

Deinde, de actibus suis præteritis respondere non tenentur, quantumvis illi reprehensione digni fuerint, et damnosi; uno igitur ictu tollitur omne frænum quo restringi posset humana fragilitas, astutia vel ira; dum omni modo alliciuntur hujusmodi homines ut hisce passionibus liberè indulgeant infrenes, cum committatur ipsis infrenis auctoritas, ingentes pecuniæ summas vectigalia suppeditent, quarum facilis est conversio in copias militares.

Neque verò de eo solùm querimur, quòd omnis cogitatio evanuerit de pœnis sumendis quoties deliquerit aliquis e Ministrorum numero; verùm etiam hujusmodi neglectus pro principio stabilitur, de quo præterea sibi invicem gratulantur hujus temporis homines, quasi ipsis honori esset ut exinde a præteritis temporibus, hominibusque vetustis discernerentur. Hoc juxta principium, "Criminationes politicæ cessaverunt." Debet scilicet existere Collegium quoddam hominum, qui malè facere impunè possint, licet non pro seipsis agant nec per seipsos, sed potestate quâdam

fiduciariâ : quod, nisi re factum vidissent homines nunquam futurum meritò cogitâssent ; dum, consuetudine obcæcati, quantùm sit hoc a rectâ ratione abhorrens, nequeunt videre.

Nec tamen de hoc Collegio credi debet quasi imperfectionibus humanis superiùs haberetur : nemo eos peccato carere credit, nemo ipsis tribuit sapientiam : quidquid agunt pro justo habetur, quod dicunt pro vero non habetur. Muneribus suis identidem ideò privantur quia contemptum moverint vel vituperium ; et quivis eorum qui fortè zonulam arriperet alienam, vel civem leviter percuteret, ipse a vigiliis urbis statim apprehenderetur. Hisce tamen non obstantibus, inventus inter ipsos unus quidam, qui nullo interpellante vel oppugnante, plurimas hominum myriadas ad necem mittere potest, et facere ut per publicanos hominibus innumeris nummi arripiantur, tum inter sui Regis subditos, tum inter alienigenas.*

Per hosce ferè triginta annos, nonnulli per Europam sparsi exstiterunt viri qui uno forsitan et altero puncto temporis senserunt bellum illicitum nonnisi homicidium esse ; sed ne unus quidem omnium percepit nasci illam quam continuè videmus internecionem et tumultum ex illo principio de non puniendis Ministris. Quod si forte

* Ex quo tempore hæc, de quibus scripsimus, exordium habuerint, triplicatæ fuerunt in Europâ militares expensæ ; ex quo tempore nempe *Palmerstonius* externis Anglorum negotiis est præfectus, et Poloniæ libertas subversa.

intelligerent homines quo reapse tendat hæc agendi ratio; si exardescens hominum indignatio in eam se dirigeret; tunc utique omnes inveherentur in istos qui cum quiete, omnique periculo semoto, ex conclavium secreto talia mandâssent facinora; unaque omnium vox erumperet, "Adhuc locus datur criminationibus politicis." Hæc proinde omnia benè sentiunt hujusmodi viri et intelligunt, quia et, occulto nescio quo ducti instinctu, suam causam agi credunt quoties oriatur sermo de Legibus ad negotia politica applicandis. Omnes qui hanc sibi materiam tractandam suscipiunt, maximâ cum curâ ponderare debent et intelligere, obstaculorum vim quæ sibi opponentur, quam profundè sita sint, quamque valida: necnon rationes, varias quidem et pollentes, quæ ad res tum perturbandas tum corrumpendas invectæ, sibi erunt sustentandæ: quæ omnia eum duntaxat ob finem inducta videbunt, ut quæ agant, effectu careant, vel non ampliùs progressum obtineant.

Quod si hunc laborem Romana suscipiat Ecclesia, ipsa utique plura inveniet quæ suo opponantur consilio, at majora etiam ex hoc conatu provenient bona; quemadmodùm e contrario eveniet si id muneris quæcunque alia prosequatur Ecclesia. Fac enim Ecclesia Anglicana Leges restaurandi officium sibi assumat: hoc omni effectu ultra hujus Ecclesiæ limites careat necesse est. Hoc consilio sibi proposito, de

Angliæ tantùm Moderatoribus solicita esse deberet. Tunc nullus contentioni, nullus difficultati locus esset : neque enim valeret Gubernium Anglicum bella gerere illicita, reclamantibus Ecclesiæ Episcopis, Proceribus reclamantibus et Deputatis ; necnon universâ Anglicanorum Communitate testante, non ampliùs geri debere bella illicita atque injusta. Nihil in hâc re valeret Gallia, nihil Austria, nec Borussia, nec Italia; nihil omnes quotquot sunt exteri etiam in unum collecti : ne per tantillum quidem temporis, nec vel minimo momento, perturbare valerent vel afficere istius Ecclesiæ judicium ; neque verò quemquam exinde, nisi fortassis indirectè, sentirent effectum.

Anglicana quippe Ecclesia, haud secùs ac Feciale Romanorum Collegium, ad unam tantummodò partem respiceret ; ad suos nempe Moderatores. Si, exempli gratiâ, de Bello contra Austriam ineundo ageretur, de Anglis tantùm judicare deberet ; quibus si jus faveret, Ecclesia esset libera. De Ecclesiâ Romanâ hoc dici nullo modo poterit. Scelus ex utrâlibet parte pariter huic Ecclesiæ imputaretur : neque enim si alteri parti jus favet, alteri adversatur, libera evadit Ecclesia. Ut reprehensioni se subtrahat ex utrâque parte stare debet justitia ; quod sanè prorsùs impossible est. Quocirca effugere nequit nisi per judicium ferendum. Primò quidem Ecclesiæ incumbit de ipso Bello judicium ferre : quo peracto, pars contumax excommunicatione est plectenda.

Quævis Communitas (nec refert magna parvane,) si vult justa existimari, e sui medio turpes segregare debet; id est "excommunicare." Qui abhorreat ab excommunicationis telo adhibendo necesse est ut de hoc ævo in quo degimus malè judicet: neque enim latior unquam patuit campus nec insignior parata est corona peritæ audaciæ.

Unusquisque aliquo modo potestatem habet excommunicandi, neque enim aliter probitatem retinet sed nec retinere potest. Hanc tesseram viri honesti habemus, quod ab inhonesti familiaritate se abstineat: quæ quidem potestas non minùs publicos quam privatos mores tuetur. Quum Reipublicæ crimina sint etiam scelera privatorum, id quod verè administratores coercet, est, quod vitentur ab honoratis.

At longè aliter res se habet ubi de Româ fit quæstio. Hæc Ecclesia a nullo Gubernio limites sumit; neque quod profert judicium, ad temporalem ipsius ditionem refertur: ab injustis etenim bellis, immo ab omnibus se abstinet; neque unquam ad fines dilatandos usa est auctoritate suâ, olim nulli per Europam secundâ: neque consiliis illis Legatorum se nuper immiscuit, per quæ periclitatur libertas non minoris tantùm cujusque Reipublicæ, verùm etiam maximarum.

Ecclesia igitur Romana foràs agit, non intùs; foràs autem omnes pariter attingit. Hic influxus majorem vim obtinet in regnis fidem Romanæ

Ecclesiæ non palam professis : Potentatus etenim qui summo cum omnium discrimine ad aggrediendum proni sunt, uno duntaxat excepto, non sunt Catholici. Ex quatuor Potentatibus perniciosis, ex Angliâ nempe et Russiâ, Borussiâ et Galliâ, in eos certè maximè influeret Pontifex Romanus, qui Catholico nomine non gaudent. Hoc in loco indicare tantummodò possumus quid velimus, non plenè de eo disserere. Satis fortasse jam dictum est ad ostendendum eos qui in Angliâ degunt Catholicos, immo partem minimam ex eorum numero, sufficere ad coercendam agendi rationem Gubernii, injustam utique et perniciosam. Russia verò, modò activâ Angliæ cooperatione destituatur, omni carebit auctoritate, dum simul exordium fit ut ipsi Angliæ sua tandem reddatur auctoritas. Quinimmo, et inter Russos Prussosque nonnulli Romani Pontificis auctoritatem in spiritalibus agnoscunt. Porrò, una eademque inter omnes debet esse agendi methodus. Nec id prætereundum, adhuc in Galliâ aliquos reperiri Catholicos.

Quidquid in rebus politicis valeant hæc Gubernia, adversùs Romam machinabuntur, directè quidem in ipsum Pontificem ejusque Ministros, indirectè verò, auspicando ab Episcopis et Clero unicuique Reipublicæ subjectis. Imprimis, ceterisque perniciosiùs, hoc Austria molietur. Omnis denique sermo eorum quibus res politicæ sunt curæ, eò dirigetur ut nulli locus cedatur cogitationi quæ

justa, sapiens, benefica sit. Romanâ Ecclesiâ sciente quid agat, incassùm reddentur omnes argumentationum fallaciæ, omnia irridentium spicula. At ubi Pontifex merè comminatus fuerit se talia iniisse consilia, instantiùs insurgent homines ut Dominium Civile tollant Pontifici. Interim tumultuum agitatio percrebrescet, terrores vexabunt. In Concilio scilicet Pontifex Romanus lapidem erexit; requiritur conamen quoddam, ingens, desperatum et salutare, ut hujus lapidis moles sustentetur, ne cadat,—eumdemque propulsare donec omnes collidat reprobatos. Quâ in re minimè omittendus est sensus Allocutionis quam Pontifex anno 1864 habebat:—
"Ubi a Civili Societate fuit amota Religio, et
"repudiata Divinæ Revelationis doctrina et auc-
"toritas, vel ipsa germana Justitiæ humanique
"Juris notio tenebris obscuratur et amittitur,
"atque in veræ Justitiæ legitimique Juris locum,
"Materialis substituitur Vis: inde liquet cur
"nonnulli certissimis sanè rationis principiis
"penitùs neglectis posthabitisque, audeant con-
"clamare 'voluntatem populi, publicâ ut dicunt
"opinione, vel aliâ ratione, manifestatam, consti-
"tuere supremam legem ab omni Divino humano-
"que Jure solutam; et in ordine politico, 'facta
"consummata' eo ipso quod consummata sunt,
"vim Juris habere.'"

Ecce vexillum! At eos, si qui objectent, scilicet a Romanâ (forsan ab omni) Ecclesiâ alienos

monendos duximus, rem de quâ agitur ad nullum dogma religiosum revocari, sed ad propositionem quam trutinare cuilibet licebit; trutinanti tamen veritas patebit. Neque enim negari potest illam, quam publicam nuncupant opinionem, in eo consistere ut Justi et Æqui loco aliud quid sufficiatur, populosque Europæ quicquid factum est, eo ipso quia factum sit, accipere. Quisquis igitur hoc ita se habere cognoscit, justitiâ tamen carere, futuraque damna minitari, debet ad id animum vertere ut aliquid remedii inveniatur.

Illud præterea notari debet, iis quotquot infideles sunt vel acatholici, meri hominis hanc esse sententiam. Homo utique, nostri similis, ceteros alloquitur admonendo; eorumque auxilium invocat, ut nefaria illa gesta prohibeant, per quæ cunctis Gentibus Orbis Christiani, immo per Christianorum exemplum et actionem, totius, quâ late patet, Orbis, turbationes inducant et pericula.

Suas primariò Papa oves alloquitur; quibus tamen non alia sunt agendi principia, non alia sensa, ac acatholicis. Neque enim ex eo quod Religionem sequuntur ducem, aliter sunt dispositi, ac illi qui Religionem omnem abjecerunt. Catholici nec testantur contra scelera publica, nec "Opinionis Publicæ" vim respuunt, nec "facta consummata" agnoscere denegant. Rebus etenim politicis a Religione sejunctis, eò devenimus, ut credentium simul et incredulorum eadem sint sensa, mores iidem: ita ut, dum hi omnem abji-

ciendo Religionem eò devenerint ut servili quodam modo se submittant, illi non minùs serviliter se gesserint, licet ritus externos Religionis observent et Symboli Articulis adhæreant.

Nihil a nobis amplius omnibus proponitur quam quod omnes sibi per seipsos præstandum benè crediderint; media suggerimus ne quis verbo, facto, vel cogitatione, peccet. Ab hoc officio vacabant olim singuli, dum unaquæque Gens sibi soli et in seipsâ continebatur, et simultates tantùm ad generationum intervalla locum obtinebant. At longè aliter res se habet ubi diversimodè omnia sunt constituta, hominumque sententiæ jugiter formantur et efferuntur. Hæ sententiæ nisi in vero fundantur, falsæ sint oportet: nec fieri potest ut sint veræ, nisi omni ratione adhibitâ, quæ necessaria sit ad errorem depellendum; Legem nempe cognoscendo cui identidem a nobis sit obtemperandum, et rerum gestarum historiam quibus Lex sit applicanda.

Ut autem huic studio operam quis suam impendere incipiat, persuasum habere debet minùs sibi incumbere judicio suo non errare; eosque ex suis civibus summoperè errare qui dicunt humanum esse errare, nec quosquam compotes esse veritatem perspiciendi; qui scilicet error inde originem ducit quod non curaverint ea intelligere de quibus sit disserendum. Quæ cum ita sint, multum adjuvat doctrina Ecclesiæ Catholicæ de Infallibilitate. Huic saltem Ecclesiæ omni hæsi-

tatione semotâ, dicere possumus, " Quum te errare posse negaveris, te rectum judicare oportere fateris."

Objecerunt nonnulli hoc opus esse extraneum, quod Concilii operibus propriis non benè conciliatur. In promptu est responsio: *Opera propria Concilio desunt.*

Hominum mentes sanè vagis tumultuosisque scatent cogitationibus, de rebus innumeris agendis, quæ omnia nescio quo modo ab indictâ Synodo credunt esse tractanda. At hæc omnia propiùs inspecta evanescunt. Ante omnia id expectare videntur homines ut aliqua feratur sanctio dogmatica de Civili Pontificis Principatu. Quum autem quæritur quomodo, quibusve terminis, concipi possit hujusmodi definitio, nullum præstò habetur responsum. At ubi dicendo perrexeris, Civilem hunc Principatum nihil esse præter statum quemdam possessionis, cui nihil nisi violentia nocet; contra violentiam autem, in decem præceptis Decalogi jamdudùm satis caveri; ita rem protuleris ut neminem adhuc repugnantem invenias, dum confiteantur omnes non posse condi aptum Fidei Articulum qui rei plus conveniat; immo, qui non sit inutilis, neque aliter optatum finem attingi posse, nisi per Legum renovatam observantiam.

Quæ proposita sunt, ad hæc ferè capita reducuntur.

1. Civilis Principatus Pontificis Romani.

2. Sæcularium Potentatuum in Episcoporum designationem interpositio.

3. Educatio religiosa puerorum.

4. Catholici inter Schismaticos Orientis degentes.

5. Relatio Ecclesiam inter et Politiam.

Quod ad secundum attinet, quodcunque præstare potest Concilium, ex ipso Tridentini tempore cautum legimus.

Puerorum institutio spectat ad leges a singulis civitatibus in proprium commodum latas. Leges saltem quæ feruntur non prohibent ne sacerdos pueros edoceat quid demùm sit peccatum, et quale illud sit peccatum per quod tot patimur et tanta: quod utique jam non discunt pueri cum ab ipsis ignoretur sacerdotibus. Neque tandem de eo quod ad Orientem spectat,—quo nomine Turcicam Rempublicam volunt designare,—quidquam est agendum. Turcæ plenam Catholicis relinquunt libertatem circa ea omnia de quibus Romam inter et Gubernia Christianorum aliqua exorta est controversia. A persecutione se cohibent, omnes fidem catholicam amplecti permittunt, bona Ecclesiæ intacta relinquunt, neque institutioni puerili se immiscent, neque Episcoporum designationi, testamentorum validitati, ritibusque publicis. Quod ad disciplinam Orientalis Ecclesiæ attinet, ipse Pontifex motu proprio maximam induxit mutationem, dum sibi ipsi Episcoporum assumpserit promotiones. Hoc inconsultis fecit Orientalibus

Catholicis, inconsultis Cardinalibus, et Academiâ Sacrâ Romanâ. Qui majus præstitit, vetustâ posthabitâ consuetudine, minora procul dubio constituere valebit sine Concilii interventu.

Id deinde quod quintum et ultimum locum obtinet, de Relationibus Ecclesiam inter et res Politicas, quid hoc sibi velit, difficilis est conjectura. Hoc autem pro certo habemus, siquidem quæstio proponatur, nihil definiti fore proventurum. Consequens igitur est nihil in hâc parte reliquum esse quod a Concilio præstetur, ut prohibeat (id quod sibi præstitutum habuerit,) ne fortè Civilis hominum Societas in pulverem reducatur.

Cum primò Concilium denuntiatum est, Romæ in ore omnium hoc ferebatur: "Consulit Pontifex Concilio, Purpurati verò Patres Dominio Temporali": significabatur videlicet Pontificem alia contemplari, alia Purpuratos. Earum rerum quæ Pontifici sunt cordi semina, procul dubio in "Allocutione" inveniuntur et in "Syllabo." Sed alia restant. Latet certissimè metus ne novum quoddam periculum immineat Ecclesiæ.

Quicunque pericula Europæ minitantia considerârunt, ex turbatione successionis hæreditariæ et ex principum prosapiis ad invicem matrimonio colligatis, præsertim postquam in Daniâ et Græciâ novus statutus est successionis ordo;—hi, inquam, in illo ferè uno solatium invenerunt, Pontificem nec jure constitui hereditario, nec compotem esse matrimonii ineundi.

Et re quidem verâ, solatio posset esse locus, si a Cardinalibus tantùm penderet Pontificem eligere. At longè aliter res se habet. Nam externi impulsus vim habent evincendi, nihilque vetat supponere hæc momenta, hucusque in æquipondio positi, posse aliquando in unum coalescere. Quod si fieret, nullum sequeretur commodum, immo summum periculum; ex eo quod Pontifex viâ electivâ sit constitutus.

Quum Rex Gallicus Romano Pontifici Dominium Temporale restituerit, non absonum fuit ut provideret ne fortè quis Gallis infensus in Pontificem eligeretur, vel ne quis cum iis fœdere vel amicitiâ conjunctus Guberniis, quibuscum Galli bellum gererent; quæ utique, in Italiâ et auctoritate Pontificiâ sibi conciliandâ, maximum æmulationis campum aperuerunt. Annorum autem decursu et eventuum, alii etiam Potentatus simile privilegium vindicârunt sibi, et obtinuerunt. Hoc autem eo jure constituebatur, vetandi scilicet *unum* ex iis qui ad Pontificatûs dignitatem nominarentur. Quod quidem tribus hucusque Gentibus est concessum, Galliæ videlicet, Austriæ et Hispaniæ.

Quibus ex Gentibus, prima paret illi viro quem Gallicas copias in Crimeam misisse novimus. Alteram Minister ille regit qui Russiæ ope auctoritatem obtinuit, quique se Pontifici obstiturum palam est professus. De eâ tandem Gente, quæ tertiò nominatur, hoc saltem dici potest, ipsam imparem esse quæ quid per seipsam

Catholicis, inconsultis Cardinalibus, et Academiâ Sacrâ Romanâ. Qui majus præstitit, vetustâ posthabitâ consuetudine, minora procul dubio constituere valebit sine Concilii interventu.

Id deinde quod quintum et ultimum locum obtinet, de Relationibus Ecclesiam inter et res Politicas, quid hoc sibi velit, difficilis est conjectura. Hoc autem pro certo habemus, siquidem quæstio proponatur, nihil definiti fore proventurum. Consequens igitur est nihil in hâc parte reliquum esse quod a Concilio præstetur, ut prohibeat (id quod sibi præstitutum habuerit,) ne fortè Civilis hominum Societas in pulverem reducatur.

Cum primò Concilium denuntiatum est, Romæ in ore omnium hoc ferebatur: "Consulit Pontifex Concilio, Purpurati verò Patres Dominio Temporali": significabatur videlicet Pontificem alia contemplari, alia Purpuratos. Earum rerum quæ Pontifici sunt cordi semina, procul dubio in "Allocutione" inveniuntur et in "Syllabo." Sed alia restant. Latet certissimè metus ne novum quoddam periculum immineat Ecclesiæ.

Quicunque pericula Europæ minitantia considerârunt, ex turbatione successionis hæreditariæ et ex principum prosapiis ad invicem matrimonio colligatis, præsertim postquam in Daniâ et Græciâ novus statutus est successionis ordo;—hi, inquam, in illo ferè uno solatium invenerunt, Pontificem nec jure constitui hereditario, nec compotem esse matrimonii ineundi.

Et re quidem verâ, solatio posset esse locus, si a Cardinalibus tantùm penderet Pontificem eligere. At longè aliter res se habet. Nam externi impulsus vim habent evincendi, nihilque vetat supponere hæc momenta, hucusque in æquipondio positi, posse aliquando in unum coalescere. Quod si fieret, nullum sequeretur commodum, immo summum periculum; ex eo quod Pontifex viâ electivâ sit constitutus.

Quum Rex Gallicus Romano Pontifici Dominium Temporale restituerit, non absonum fuit ut provideret ne fortè quis Gallis infensus in Pontificem eligeretur, vel ne quis cum iis fœdere vel amicitiâ conjunctus Gubernîis, quibuscum Galli bellum gererent; quæ utique, in Italiâ et auctoritate Pontificiâ sibi conciliandâ, maximum æmulationis campum aperuerunt. Annorum autem decursu et eventuum, alii etiam Potentatus simile privilegium vindicârunt sibi, et obtinuerunt. Hoc autem eo jure constituebatur, vetandi scilicet *unum* ex iis qui ad Pontificatûs dignitatem nominarentur. Quod quidem tribus hucusque Gentibus est concessum, Galliæ videlicet, Austriæ et Hispaniæ.

Quibus ex Gentibus, prima paret illi viro quem Gallicas copias in Crimeam misisse novimus. Alteram Minister ille regit qui Russiæ ope auctoritatem obtinuit, quique se Pontifici obstiturum palam est professus. De eâ tandem Gente, quæ tertiò nominatur, hoc saltem dici potest, ipsam imparem esse quæ quid per seipsam

decernere possit; cum olim Russicus Legatus Matriti haud secùs ac Varsoviæ dominum se præstiterit.

Qui tria nomina excludere potest, ille nimirùm verè eligit Pontificem; neque enim plerumque plures adsunt qui ullo pacto eligi possint. Hisce igitur conspirantibus prohibendi facultatibus, non tam tres vetant, quam unus eligit. Qui tali privilegio gauderet, vel gaudere crederetur, ipse omnium Cardinalium oculos ad se converteret.

Pro explorato habemus Pontificem hoc periculum perspectum habere, quin Russiæ illud referat; sed Gallorum Moderatori referat, necesse est. Ludovicus Napoleo sacram unctionem a Pontifice petiit, quam idem Pontifex *dare recusavit.* Frustra ad hoc adhibitæ sunt tum minæ, tum beneficiorum (etiam pecuniæ) oblatio: nequit ergo Pontificem latere, omnia fore movenda ut Successor ejus ad obsequendum sit paratior.

Quare, si Concilium ad hoc convocatum, ita se gerere possit ut externis istis privilegiis obicem ponat, tunc utique, aliquam lucem affundere poterit circa motiva Pontificem urgentia, et nonnihil conjecturis assequi poterimus circa discrepantes ipsius et Cardinalium sententias. Præterea, id satis in liquido poneretur, cur tale negotium mysterio obvolvatur. Ceterùm, evidens est Ecclesiæ Catholicæ fortunas ex proximâ electione Pontificiâ pendere, quâ cum electione proximè connectitur præsens Concilium. Id præterea

suam recipit explicationem, cur adeò vagæ sint instructiones, in eo omni quod spectat ad relationes mutuas, Ecclesiam inter et Politiam.

Aliud etiam restat quod suam acciperet enodationem. Russia Concilium vehementer detestata est, et absona multa sibi vindicavit; neque est cur hanc agendi rationem ortam ducamus ex aliquo timore, ne fortè Concilium Europam liberet a Russorum ditione; id quod etiam magis credimus, quia, propter sermones a Russis habitos, Catholici plerique, quicquid agat Pontifex, pluris quam antea fecerunt. At non est cur verba miremur vehementiora, nec eorumdem apparentem incuriam, modò Russiam suspicari credamus inibi proponi ut omnis tollatur influxus externorum.

At id secundo tantùm loco ponendum arbitramur, quòd per hæc privilegia prohiberi potest, ne quis in Pontificem eligatur, qui Cathedræ Romanæ suam servare autonomiam voluerit. Jamdudùm, ni fallimur, constitutum est quinam sit eligendus. Neque verè ex Gallorum auctoritate neque Austrorum pendebit electio, non ex Cisalpinis nec Ultra-alpinis, non ex proclivitate liberaliori vel restrictiori, at solùm ex *Temporali Dominio* in tutum ponendo. Dominio Temporali favet Napoleo; Cardinales favent. Illi dabunt voces suas Cardinales, cui Napoleo: illi Napoleo, cui Russia. Nec obstat quod nullum Russia habeat Romæ Legatum, sed nec ipso electionis die fortasse sit habitura. Immo, forsitan illud utiliter

accidit ne hominum dirigatur attentio: fieri etiam potuit ut hunc præcipuè ob finem revocati fuerint Legati. Præterea, jamdudùm, anno 1848, Russi declaraverunt se favere *restaurationi* Auctoritatis Pontificiæ, tum Spiritalis tum Temporalis.

Si quis ex Cardinalibus veritatis agnoscendæ sit cupidus, immo ab eâ discendâ non abhorreat, illum hortamur rationem a se exigat omnium, quæ tum intra Galliæ limites, tum extra, fecerit Ludovicus Napoleo, ex quo tempore regnare inceperit. Quærendum utique est, unde, et quibus auctoribus, Imperium sibi acquisierit. Quæ apud Exteras fecit Gentes, numquid Gallis profuerint? Quæ autem intùs gerit, num cuiquam hæc proderunt *Guberniorum?*

De "Temporali Pontificis Dominio" hodie fit sermo, non secùs ac de "Regni Danici Integritate," vel "Orientis Pacificatione": nec diverso adhibebitur consilio. Hinc oritur illud, quod impræsentiarum Orbi imminet periculum, a ceteris minimè sejunctum: omnia etenim inter se nectuntur. Neque aliud datur effugium quam quòd, resolutis ambagibus fallaciarum, explodantur errores et passiones quæ nascantur ex longâ serie actorum, quorum virtute Italia talis facta est, qualem eam hodie videmus: in quibus quidem actis, jam ab anno 1795 inceptis, influxus Russiæ in propatulo est; dum vicissim Gallia, Anglia, Austria, necnon ipsa denique *Italia* et *Revolutio*, suas quæque partes, cæcas utique, serviles maximè-

que perniciosas, vi coactæ, tum separatim tum conjunctæ, habuerunt.

Quæ Russia egerit, per sæculorum seriem computantur : ejus adversarii, ad unum insulsi, inter arctos mensium limites et dierum versantur. Hi speculantur, agit illa. Hi contemplatui, actioni illa insistit. Ultra suorum animorum motus speculari nequeunt ; quibus pabulum datur abundans in iis omnibus quæ jam antea ejus impulsu fecerunt ; quorum tamen anteactorum jam omninò sunt obliti ; neque enim nôrunt quid egerint, cum, nullâ lege in ipsorum cordibus existente, oculi eorum densâ opprimuntur caligine. *Præcepta etenim Domini illuminant oculos.* Et a terribili illo, omnique spe vacuo, in quo versamur rerum statu, solum adest effugium,—in Divinæ Humanæque Legis restitutione. Neque enim aliter intelligent tum Consistorium, tum Orbis Universus, quomodo " Temporale Pontificis Dominium " turpia sunt vocabula, et indecora ; quæ qui profert, sibi ipsi casses tendit.

Quare, quæso, in Pontificis duntaxat casu, non de auctoritate Regiâ, sermo fit, sed de " Dominio Temporali " ? Gallorum Imperatori vel Lusitaniæ Regi nemo ascribit " Temporale Dominium " : dum tamen, hos inter et Pontificem, in eo quod potestatis suæ naturam spectat et functiones, nullum est discrimen. Neminem utique fugit, prærogativis quas circa bellum gerit et pacem, aliam superaddi, spiritalem. Verùm et Russiæ et

Turciæ Imperatores spiritalem exercent auctoritatem, de quorum tamen "Temporali Dominio" ne verbum quidem profertur. Rex etiam Borussiæ et Angliæ Regina de temporalibus disponunt Ecclesiarum Nationalium.

Quocirca, si speciale quoddam nomen Dominatui Pontificio, minimè autem ceteris tribuitur, latet profectò pravus finis. Consilium enim est illis, (quo Pontifex Dominatu faciliùs spolietur) hominibus persuadere, illum a ceteris Potentatibus aliquatenùs distinctum. Unde, de hoc casu argumentationi via patebit ex fundamentis omnem notionem Justitiæ excludentibus, atque ita fiet, ut qui primo auditu negarent se Regnum a Reginâ Angliæ vel a rege Lusitaniæ ablaturos, et VICTORI EMMANUELI daturos, eò quòd hæc Auctoritas est Temporalis, nihilo minùs hoc propositum iidem, eo præcipuè titulo, et exciperent simul et urgerent, statim ac de Pontifice moveretur quæstio.

Immo ulteriùs progredientur, dicentes: "Nobis "propositum est prosapiæ Sabaudicæ dare—licet "haudquaquam ad nos pertinentes—agros, urbes, "et castella, Pontificis hæreditatem, (nihil enim "aliud intendunt,) ut sic Ecclesiam Romanam "magno afficiamus beneficio. Hanc Ecclesiam "meliorem reddere cupimus et puriorem; mun-"datam ab omni labe sæculari; totamque spiri-"talem. Hæc autem agimus ex amore Justitiæ, "juxta ac ipsius Religionis Christianæ."

Atque ita eveniet ut hi simplices homines, for-

tasse et devoti, idem agant ac ii qui "omnes Leges abrogatas" velint, omne Gubernium sublatum, omnem fidem evulsam,—qui ad res turbandas laborant; et ita se facere palam profitentur.

Hisce accedunt alii alio inducti motivo, scilicet ut nonnullos in partes suas trahere possint. In iis quæ geruntur, Ecclesiæ Catholicæ destructioni inhiant, et spe adducti ut augeatur Protestantium numerus, "Unitatem Italiæ" et ipsi faventibus tollent vocibus. Hinc universa Anglia plausum et auxilium contulit facinoribus istis in Italiâ gestis; quin etiam virum illum salutavit qui in hisce omnibus pro instrumento est adhibitus, licèt in illo omnes invenirentur turpitudinis notæ, ob quas ab ejus societate omnes honesti avertantur.

Hâc statutâ conspiratione, qui ex aliâ sunt parte, "loquendi mutuabuntur modum ex hostibus."* Terminorum ambages resolvere, consilia perfida revelare, damna exinde consecutura indicare omittentes, ipsum accipient terminum,—quem qui accipit omnia accipit—ad id animum vertentes ut "Temporale Dominium" sustineant. Hinc qui Temporali Dominio fauturus creditur, ille forsan in proximâ electione, hâc solâ de causâ, Pontifex fiet; dum tamen ille ipse ad hoc fuerit designatus ut eum solvat nodum, quo connectitur totum Ecclesiæ systema, magnum sanè et admiratione dignissimum; quod tamen, ditione et

* Verba sunt Episcopi Aurelianensis Mechlinii habita.

territorio destitutum cuidam ex Europæ Potentatibus necessariò serviret.

Talia hactenùs hâc de re Guberniorum Protestantium sensa fuerunt. Autonomiam Pontificiam sibi maximè necessariam semper crediderunt; quia videlicet Pontifex, summâ potestate privatus, Potentatui alicui Catholico fieret subditus, magno hujus Potentatûs emolumento: nec refert utrùm hoc ex externo influxu oriatur in electiones, an ex directo conamine seditiosorum. Spectat ad hoc, quod Anglia, ubi anno 1799 haud modicis expensis curavit ut liberum haberetur Consistorium Venetiis—in civitate adhuc liberâ—unde paucos post annos tantum retulerunt ipsi Angli beneficium, dum Pontificis operâ decretis illis notissimis, Berolini editis et Mediolani, obstitissent. Nec aliam ob causam in Constitutione annorum 1814–15, consuluerunt ut Sedi Romanæ Statûs et ditionis integra fieret restitutio.

Pariter, cum concitationes in Italiâ initium haberent, et Seditiosi Guberniorum Protestantium bonum sibi animum fore promitterent, Borussicum adierunt Legatum: respondit autem Bunsenius "eos graviter errare qui sperarent a Protestantibus Guberniis favorem propter Religionis diversitatem." Tunc ea quæ modò diximus disertè sunt prolata: negabat Bunsenius cives suos iis fauturos consiliis unde id solum fieri posset, ut Pontifex cuidam e Catholicis Guberniis subditus fieret, atque adeò auctoritatem spiritalem ita exer-

cere deberet ut ceteris nocivus esset Potentatibus.

At verò PONTIFEX nunquam approbavit, admisit, neque adhibuit "Temporalis Dominii" nomen. Ubicunque de Dominatu suo verba facit, "Civile Imperium" dicit vel "Principatum Civilem."* Vox "Temporale Dominium," si quandò in scriptis reperitur Pontificiis, ad temporalia respicit judicia, et ad effectus excommunicationem sequentes.† Utitur autem hâc voce Papa loquens de Guberniis a suo diversis.

Qui a veritatis cognitione non abhorrent, eam ex Daniâ colligere possunt. Ibi licet perspicere quâ ratione, hisce in negotiis, Russia se gerere consueverit. Convenerunt "Potentatus" ut aliquem candidatum imponerent; ad quem admittendum immutatæ sunt leges internæ. Quem candidatum licèt Russia nominaverit, ipsa tamen nullam partem in eo negotio se habere apertè professa est. Russia jam Daniæ domina, id habet commodi, quod nemo eam dominari cernit. Quæ cum agerentur, fraudulentâ quâdam amphibologiâ uti debebant homines, quâ prædicaretur Daniæ integritas.

Attamen quisnam vel somniare potuerit quicquam contra Daniam agitari, etiam illo ipso die, 11 Maii, 1852, ubi Conventio per ephemeridas

* Syllabus, Sec. ix. Errores de Civili Romani Pontificis Principatu, Prop. lxxvi. et seq.

† Syllabus, Sec. v. de Ecclesiâ, ejusque Juribus, Prop. xxiv. xxv. et al.

omnibus innotuit? tamen per annos octoginta quinque, altè acti erant cuniculi conspirationis. Quisnam, etiam cognito eventu, totum comprehendit? Nemo inficias ibit rem nullam, nisi prævisam, posse impediri; pariterque, rem nisi prævisam, intelligi posse nisi ex eventu secuto. Nec hic habetur causa desperandi: habetur potiùs ratio cur conatum adhibeamus, imprimis autem cur studio rerum gestarum incumbamus.

Pontifex procul dubio verba protulit, rationesque proposuit, ex quibus offenduntur Catholicorum plurimi.* Hoc illi pro infortunio est imputandum non proculpâ; magis dicerem pro officio. Maximum hâc in re sequitur Ducem, qui quæ agit, et nos agere jubet. Ipsum Christum Ducem habet Pontifex. Christus Ecclesiam, quæ tunc fuit, ad pœniten-

* Schisma quod Syllabus secum attulit, sufficienter indicant sequentia verba ex ephemeride quâdam (*Le Monde*) desumpta. "Les divisions viennent de ceux qui refusent de comprendre "les paroles de Pie IX. dans le Syllabus : il y a injustice à "mettre sur la même ligne avec eux les Catholiques qui ne se "sont pas départis des principes posés dans les Encycliques. "Si la voix du pasteur est écoutée, le camp des Catholiques se "fortifiera et leur action peut devenir prépondérante. C'est à "l'*Union de l'Ouest* et à la *Gazette de France* à en prendre leur "parti. Elles se bercent d'illusions si elles s'imaginent guider "les Catholiques en restant dans leurs doctrines équivoques.

"Elles croient servir la liberté ; mais jusqu'ici elles n'ont "servi que la liberté de leurs adversaires. Ce métier de dupes "ne vous va pas, quoique nous ne nous dissimulions pas que "les Catholiques ne sont pas encore en mesure de faire pré-"valoir leur volonté. L'inanité des doctrines modernes ramè-"nera, après une longue expérience, et s'il plait à Dieu, les "populations à une *politique* chrétienne."

tiam hortabatur. In Novo Testamento eadem est significatio vocabulorum "Conversionis," et "Pœnitentiæ," necnon "Salutis." Illum sibi prædicationis finem proposuit sanctus PRÆCURSOR DOMINI, ut *salvum faceret populum suum a peccatis eorum;* neque tamen eo pervenerat "Ecclesia" Judaica, ut multos quotidie homines trucidaret! De Christianis verba faciens PAULUS, post Crucifixionem et Ascensionem DOMINI, et post Adventum SPIRITUS SANCTI, ait: *Si quis suorum et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* Ipse verò de *neglectu* tantùm est locutus, et de earum rerum neglectu quæ si observata essent, ad summum *utiles* fuissent. Quid quæso hodie sentirent APOSTOLI, quibusve vocibus reclamarent, si hanc viderent Communitatem se pro Christianâ gestantem? Neque aliter sentiet et loquetur quicumque verus sit APOSTOLORUM SUCCESSOR.

In PIO IX. conjunctas videmus tales animi dotes, præclaras illas quidem et rarò simul compertas, ut videatur a Deo in opem humani generis constitutus; ipse est CLERICUS qui analyticis quæstionibus animum applicavit, et simul PRINCEPS, non sicut ceteri Principes Europæ, nomine duntaxat, verùm etiam potestate.

Neque tantùm operis est capax, aptus rebus agendis; præterea manum jam operi admovit; quod opus per sua ipsius verba melius describitur quàm per quodcunque commentarium. Dixit ipse:

"Mundus in tenebris deerravit: Syllabum emisi, qui lumen esset et mundum in viam reduceret veritatis." Et iterùm: "Quotiescunque Pontifex solemniter loquitur, verba sua in obvio sensu vult sumi: et id quod dixit dicere voluit."

Modò Orbis Catholicus idem cum Pontifice sentiret, opus jam peractum esset, seu potiùs nullum esset opus agendum. At dolendum est non ita rem se habere: ex ovili oriuntur difficultates, dum nequeant homines vel mentem assequi, vel magnum animum toties illustratum admirari Pontificis qui, omnium quotquot Petro successerunt, Maximus meritò appellaretur.

VI.

Collegium Diplomaticum.

Magnum reverâ negotium, et ceterorum quasi cardo ille est, ut quid in Orbe agatur homines cognoscant.

Tam latè tamen patet hæc materia, ut ad illam dignè tractandam integri vix sufficerent libri. Bonâ autem fortunâ, est simul adeò simplex, ut totum uno ictu conspici possit. A quodam Prælato Ecclesiastico hâc ratione est expressum:—"Id primò omnium statuendum videtur, Ecclesiam esse Rerum ignaram, et hanc suam ignorantiam amandari debere."

Quæstio quædam magni momenti, nec ullius patiens moræ, continuò solvenda occurret: porrò

hæc quæstio ad Romanam præcipuè spectat Ecclesiam, prout est Ecclesia.

Cum Russia se pro Orientali jactet Ecclesiâ, Occidentalis Ecclesiæ ambit destructionem. Jam tandem cognitum habemus quo modo illa Seditionis opem invocaverit. Ipsa palam proclamavit illo se consilio Italiam Regi Sardiniæ dedisse, ut *spiritalem* Pontificis everteret auctoritatem.* Non tamen hoc effectum est, sicut et reliquæ in Europâ et in toto Orbe ortæ turbationes et seditiones, per Russiæ potentiam, in rebus agentem ; sed per ejus astutiam, hominum mentes regentem. Et in hoc præcipuè apparet ejus astutia, ut homines rerum agendarum maximè callidos ad se, quâcunque ex parte, revocet, atque eosdem subire cogat elaboratas operosasque disciplinarum institutiones, quales ceteræ Gentes adhibent ne fortè jurisconsulti sibi desint, medici, vel machinarum artifices. Quâpropter, si Auctoritas Pontificia se contra Russos defendere voluerit, immo cognoscere utrùm possibilis sit defensio et facilis, an difficilis vel impossibilis, id debet agere quod ipsi agunt Russi : homines debet instituere.

Hoc consilium viginti quatuor abhinc annis inire parabat Gregorius XVI. ; at tempus illi defuit

* Hæc habet Ephemeris Moscoviana : " Prorsùs *necessarium* est Russiæ ut Italia una fiat ; at una fieri nequit nisi in Româ, quam natura statuit ItaliæMetropolim. Sublato Dominio Temporali, fides orthodoxa [Ecclesia Græca scilicet] in ipsâ Româ triumphabit. Utique, *non tantùm ad instar spectatorum e caveâ*, animadvertimus historiam Italiæ, ad culmen jam perductam."

ad rem conficiendam. Attamen tunc temporis, omnibus fuit persuasum, universalem futuram esse pacem. Siquidem putabatur, " Bellis non ampliùs fore locum."* Confisum est sapientiæ plurimorum; annus enim 1848 adhuc a longè aberat.

Nihil in Orbe terrarum agitur quin aliquandò, nonnullis diebus antea, vel mensibus vel annis, Russorum unus et alter, Rerum Publicarum periti, ad hoc agendum modos constituerint; et effectus obtinetur, quia deest qui contrarias partes sustineat.

Nonnulli idiotæ, Russis minimè faventes, multis obstiterunt rebus, de quibus agebatur. Plurimis bellis obstiterunt, iisque magnis. Hæc omnia forsitan, imposterùm patefient, immo jam cuivis patebunt, qui quidem a studii labore non abhorreat. Quidquid sit, eatenùs rerum obstiterunt decursui, ut Romanæ tandem Ecclesiæ agendi relinquatur locus.

Per nonnullos annos forsan durabit Concilium; sed annos quales! Ad malum quod oriri possit præveniendum et supprimendum, sufficit ut moneatur vel unus auctoritate fruens inter Romanos. Hoc perfacillimum judicamus, modò quis sciat quid agat, et simul in Ministrorum aulas habeat accessum. Falsis etenim consiliis in unâquâque Republicâ initis, iter suum secretum peragit Russia; quæ consilia fontem ducunt vel ex illusionibus sparsis, oblatis perfidè monitionibus, mendacibus

* Verba sunt Millii.

nuntiis; vel tandem proditionibus. Nuntius Papalis, rerum ritè certior factus, immo Prælatus quilibet, vel Sacerdos simplex, vel Laicus, modò auditum obtinere quiret, falsa eliminare posset, proditores denudare. Præter hominum vitia, nulla Russiæ suppeditat ratio ad quamque Rempublicam evertendam. Nobis auxilio sunt hominum virtutes; dum unicuique Regi consulimus et populo, eorumque et omnium honori simul et utilitati.

Ritè considerari debet, et plenè intelligi, quantùm abhorreant Gubernia Europæ a formandis sibi hominibus Publicarum Disciplinarum peritis; non aliter perspectum erit quo modo hæc consilia universum Orbem sint affectura.

In Angliâ quidem, in Galliâ, Germaniâ vel Italiâ, nemo in Publicis Rebus versatus, si inter colloquendum urgeatur, sequentes propositiones admittere recusabit:—

1. Russos ceteris gentibus calliditate præstare.

2. Nonnihil periculi inesse si illi, custode nullo, agere permittantur, cùm omnium Civitatum negotia ad invicem commixta sint, et agantur secretò.

3. Non alios idoneos esse custodes quam qui ipsorum consilia calleant et methodos.

4. Magnoperè desiderandam quandam hominum Societatem, qui eo modo delecti sint et instituti, quo Russi suos Legatos deligere consueverunt et instituere.

His igitur admissis, si tractatur de Lege rogandâ ad hoc efficiendum, recusabit ille quîcum loquaris, et præ timore vel odio abhorrebit. Et hoc est in causâ: unusquisque illud propositum pro offensâ, et contumeliâ sibi illatâ, habebit, quandoquidem non merè ipsum errâsse suggeratur, verùm etiam ignarum esse et muneris impotem quo fungatur. Immo etiam (horrendum dictu!) "publicam opinionem" errare simul et caligare. Idem si a *Principe* proponatur qui reverâ multùm influit in vitâ *sociali* multorum hominum in unâquâque etiam alienâ Republicâ,—ex quibus nonnulli inter Delegatos computantur et inter Proceres, qui ad Principem habent accessum et consiliorum ejus habent partem,—tunc videlicet timor, aversio, odium, oriantur necesse est.

Non aliter hæc Gubernia respicerent homines ita instructos, quam, caterva latronum, vel hominum Juri Legibusque minimè subditorum, forum juridicum noviter introductum videret.

Scelere publico admisso, non Jus modò Gentium sed et Civile violatur. De hâc re nihil hactenùs dictum est: ad nostræ tamen orationis negotium complendum non debet præteriri.

In Jure Gentium exigitur ut a Principe duntaxat bellum indicatur; per Jus Civile cautum est, quibus sub conditionibus hoc munere fungi Princeps debeat. In Angliâ, Pacis et Belli decernendi privilegium, sicut et cetera omnia, nonnisi "per Secretum Concilium exerceri potest." Hâc

Juris cautione neglectâ, dum aliud Concilium Secretius, (*Cabinet Council*) quod appellant, furtim fuit subrogatum, ordo evanuit, et bella sine causâ, sine justitiâ, locum obtinuerunt.

Hinc fieri potest ut bellum quoddam legitimum sit, justum et necessarium, quod ad hostem spectat; idemque criminosum, quoad cives et Ministros.

Dum igitur studet Pontifex negotia ad certam quamdam reducere normam, hæc animadvertere debet; et ad hasce Leges restaurandas obligare Gentes illas, inter quas inveniuntur.

Hâc si ageret ratione, plus proficeret Papa ad malorum impeditionem, quod ad Angliam attinet, quàm si magis directè agere conaretur.

Hâc porrò suggestione, ut cives omnium Gentium Legibus et libertatibus suis utantur ad temperandos ipsius Principis Ministros, et ut, hæc agendo, finem imponant injuriis, ipsum Papam intervenire poscentibus :—hâc suggestione tum viam faciliorem indicabit Pontifex ad optatum finem obtinendum, tum vel maximè cavebit contra hæsitantiam, repugnantiam, et vituperationes, quæ forsitan ex ejus agendi ratione sunt secuturæ. Hoc saltem omnibus manifestum faciet, Imperium se haud concupiscere, scelus autem detestari.

Diplomatiâ jam Roma non caret, nec Collegio Diplomatico; non est igitur cur quis objiciat, vel timeat. In hoc quidem Collegio de Concordatis agitur, et de rebus religiosis; non de fœderibus et rebus sæcularibus. Nihilo minùs existit funda-

mentum, super quod amplius ædificium poterit erigi. Hoc systema ex illâ incepit periodo, quæ legationibus permanentibus antecessit; quâ nempe in periodo, tunc duntaxat ad invicem communicare solebant Gentes, quandò aliquid agendum occurreret, nec per subsistens commercium, semper aliquid cui operam darent, in promptu erat.

A Byzantinis derivatam habemus *Diplomatiam*. Vocabulum istud significat "duplicatum," et illud munus denotat quod, qui exercet, nos "archivistam" appellare solemus. Vox ad Conventiones spectabat in acta redigendas; neque enim tunc temporis agitabatur de mandatariis in unâquâque Civitate sustinendis, qui omnibus quotidie se immiscerent negotiis.

At notandum est, procul a nobis esse ut Pontifex partem sumat in hoc systemate tam odioso et malefico; omninò e converso, volumus ut cum quid sit cognoscat, deceptiones illinc exortas frustrari possit, falsisque se opponat principiis quæ exinde generantur et quorum ope sustinentur.*

Academiæ Ecclesiasticæ adjunctus est ramusculus quidam, cui Diplomatiæ Sacræ nomen inditum, ad instar Byzantini Collegii. Concordatas studen-

* Russus quidam e proceribus, et externis Russorum negotiis olim præpositus, in libro cui nomen "La Diplomatie," hæc habet: "Concipi non potest quo modo Gentes sinant de se disponi ab hominibus, aliam habentibus conscientiam et alium Deum; idque non merè nullo cum horrore et metu, verùm etiam quasi justum foret et consentaneum." Hæc anno 1826 conscripta sunt!

das sibi proponit et in acta redigendas, et omnis quod huc faciat Juris scientiam. Ibi instruuntur Nuntii ut aptè suis fungi possint muneribus. Hoc ex Collegio, naturali quâdam divisione, fieret *Collegium Diplomatiæ Sæcularis*, in quo principem locum obtineret Jurisprudentia et Jus Gentium. Ita, maximâ cum simplicitate et juxta naturam, res ageretur; neque tamen nequit aliter agi. Hæc studia proprietatem non admittunt; communia sunt cujusvis hominum, maximè ejus qui alios instituere debeat. Officia pendent a circumstantiis.— Cum nondùm frequentia essent injusta bella, non opus erat ut hisce studiis, utpote superfluis, incumberetur; at verò eadem jam maximè necessaria sunt unicuique qui conscientiæ regimen sequi velit, hoc præsertim tempore, ubi nemo scit unde legitimum fiat bellum, ac ubi proinde bella illicita, nemine obstante geruntur, nemine reclamante.

Instruendi sunt universi sacerdotes. Adsunt multæ Regularium Communitates quibus præstò sunt auctoritas et devotio; libri, et otium legendi. Infinitas habet opes Ecclesia Romana, simulac agnoscatur intellectu dimicandum esse contra infideles, contra Societatis eversionem, et contra eorum insidias, qui hisce utentes astutiis, corruptionem student propagare.

Totius Operis Conclusio.

Periculum in propinquo est ; cujus aspectus informis est et horrendus.—Sanè Pontifex, ejusque Ministri Poloniæ tyrannum pro Seditionis patrono, et pro Motore et Moderatore omnium in Europâ Guberniorum, agnoscunt. Immo, depositâ jam larvâ, Potentatus ille se proclamat unitati Italiæ studere, eo fine ut evertat non modò (sicut olim jactabatur,) *Temporalem* Pontificis Auctoritatem, verùm etiam *Spiritalem*. Nihilo minùs se Œcumenicum ingressurum prætendit Concilium ; nec ingressione contentus, inde detrudere assumit et Pontificem et universam Ecclesiam Occidentalem, dum fidem dat, id se acturum ut Religio restituatur inter Christianos, et pax et concordia. Verè satis admonitum est, satis provocatum !

Quod ad animi fortitudinem attinet, magna ista nullatenùs deest virtus.—Pontifex etenim jam diu Russiam ad certamen provocavit : Legatum ejus dimisit. Tempus utique adest consilium ineundi quo modo Russia sit coercenda et impedienda. Neque modus deerit quærenti. Perfecta cognitio, integritas perfecta, requiritur, ut hæc tam magna facultas obtineatur. Forsitan hæc videbitur non in nostrâ ætate, immo in nullâ, attingi posse. Attamen, talem præ se ferunt indolem, quotquot habet Russia Rerum Publicarum peritos ; et recto omnia irent cursu, si quidem alius surgeret qualis haud ita pridem in Angliâ fuit Stowellius. Id

omne quod exigimus darent etiam hodie judices Angli, modò res debitè ad ipsos deferri posset.

Civitatum negotia per se sunt maximè simplicia, licèt prouti jam res aguntur, difficillima videantur ; Moderatoribus omnia secretò et malè tractantibus, dum confusionem augent argumenta Deputatorum et Ephemeridum commentaria ; hæc tamen omnia nec difficilia neque ambigua invenientur, modò non desit Juris cognitio animique candor.

Quamobrem, nisi huic rerum cursui frenum imponatur, Gentes Christianæ post longum jurgiorum et internecionis decursum, necessariò sub Russiæ Imperium, neque immeritò, redigentur.

Quæ cum ii, quibus visio non deest, persuasa habeant, fervor ipsorum augetur et industria ; quoties verò periculum adstat, fatum exercituum et Gentium, immo et sæculorum, a singulis pendeat necesse est. Neque multi faciendus est status ipsorum et indoles ; id vident quod ceteri non vident, et hoc sufficit.

Qui hostes sine justâ causâ debitoque præcepto, in acie prosternit, ipse pro homicidâ jure habetur ; quod nemo cui res proponatur inficiari potest. Finibus igitur perexiguis circumcluditur quæstio de quâ jam Ecclesiæ est agendum; declarare nempe debet, HOMICIDIUM PECCATO NON CARERE.

Etenim ab hâc quæstione satis simplici, omnia quæ supra statuta sunt, pendent consectaria : hinc acceptantur omnes causæ quæ communem pariunt dejectionem ; illinc abrogatur ille quem

videmus cursus peccati, inopiæ nummariæ, tyrannidis, novarum rerum studii, Seditionis, sed et Apostasiæ.

Illo igitur modo Leges restaurare poterit Roma (si tamen restaurandæ sint); ut singulos ad probitatem revocet; ut ita pro civibus se gerant, et pro honestis. Decem justi Sodoma servare potuissent et Gomorrham. Europam poterunt decem justi salvare, dum singulis obstent actibus qui destructionem invehant.

Ille qui de Jure Gentium scripsit, auctor sanè gravis, hisce ferè verbis laborem concludit suum:

"Inscribat hæc Deus, qui solus hoc potest, "cordibus eorum quorum Res Christiana in manu "est; et iisdem mentem Divini Humanique Juris "intelligentem duit, quæque semper cogitet "lectam se ministram ad regendos homines, 'Deo "carissimum animal.'"*

Grotius, acatholicus quidem, dum vitam transegit in studio illius Juris Publici quod tunc temporis obscuratum et dirutum fuerat ob simultates et Bella Religionis causâ suscepta, non secùs corde etiam deditus erat sedandis controversiis theologicis, ut ad unum revocaret Ecclesias dissidentes, quarum unaquæque Christum pro suo agnovit Capite. Grotius, e Protestantium cum esset numero, opus suum Ludovico XIII. Galliæ Regi Catholico dedicavit: simul ipsum sub

* Ἄνθρωπος, τὸ περισπούδαστον ζῶον τῷ Θεῷ.—S. Jo. Chrysost. Serm. de Eleemosynâ.

Justitiæ tutelâ provocat ut inclinatæ se opponat ætati. . . . Legesque revocet sepultas; . . "ut "discat nostra," ait, "ætas arbitrium subire ejus "ætatis quam verâ sincerâque fide Christianam "fuisse, Christiani omnes profitemur;" . . . "ita ut pax inter homines restituatur . . . . "Difficile negotium, propter studia partium glis- "centibus indies odiis inflammata: sed tantis "Regibus (Ludovico scilicet XIII. et Carolo I.) "nihil dignum nisi quod difficile, nisi quod ab "aliis omnibus desperatum."

Gloria in excelsis Deo,
et in terra Pax
Hominibus bonæ Voluntatis.

Finis.

LONDINI: E PRELO WYMANNI ET FILIORUM, 74-5, GREAT QUEEN-STREET.